




DE

COLUMELLÆ

VITA ET SCRIPTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

V. BARBERET

IN ORDINE LITTERARUM AGGREGATUS
IN DIVIONENSI LYCEO PROFESSOR

NANTIACI
EX TYPIS PAUL SORDOILLET
51, via Sancti Dizerii, 51

—

MDCCCLXXXVII.

DE

COLUMELLÆ

VITA ET SCRIPTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

V. BARBERET

IN ORDINE LITTERARUM AGGREGATUS

IN DIVIONENSI LYCEO PROFESSOR

NANTIACI

EX TYPIS PAUL SORDOILLET

51, via Sancti Dizerii, 51

MDCCCLXXXVII.


HARVARD COLLEGE
JUN 1 1906
LIBRARY.

Jules MARTHA

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI COLLOQUIORUM MAGISTRO

Grato animo

D. D. D.

V. B.

PRÆFATIO.

De Columella quæsituris hoc in primis videndum nobis est, ne ultra destinata procurramus. Nam attingenti cuique rem rusticam Romanorum loci graves undique occurrunt, nec unius vires hujusmodi materia requirit. Ergo justis finibus nostrum opus circumdandum est : pauca enim dicere malumus, et nostra, quam ex alienis studiis fucum facere. Superiores tamen antiquitatis investigatores, ubi res postulabat, non prætermisimus ; sed id potius consectandum nobis videtur, si intacta quædam aut minus comperta quantulumcumque illustrare possimus. Itaque de vita et indole Columellæ ante omnia agere idoneum est, quæ utraque minus nota sunt, quam ejusdem scripta. Ea enim, ut recentiores sæpissime protulerunt, sic commentariis et indicibus, sive ad linguam, sive ad agricolarem disciplinam pertinentibus, Beroaldus, Gesnerus, Schneiderus, ut ceteros taceam, ornaverunt. De Codicibus et Editionibus Columellæ Gesnerus[1] et Schneiderus[2] ita quæsiere, ut eorum Indicibus nil jam addi possit ; verum ejus virtus in dicendo, componendo, præcipiendo qualis fuerit, id fere omnino perpendendum superest.

1 *Script. r. r.*, *Præf.*, p. XXII, sqq. et p. CXXXI — CXLV. Biponti, 1887.

2 *Script. r. r.*, *Index codicum*, t. I, p. XII sqq. et t. II, *Præf.*— *Index editionum*, t. IV, 73-77 ; 78-80.

Item de re rustica Romanorum nec pauci, nec parvi ponderis auctores, alii ad hujus artis disciplinam, alii ad instituta moresque magis spectantes, disseruere; sed, cum inter omnes constet agriculturam romanam penitus tempore immutatam esse, id nobis proprium opus fuerit, quonam modo id factum sit, et quatenus Columellæ ceterorumque ejusdem ætatis de ea re querimoniis concedendum sit, ratione ac via inquirere. Non enim credimus latifundia adeo per totam Italiam tunc procurrisse, nec, ubi latifundia fuerint, jam omnia periisse, imo contra, proventus omnis generis sive inventos, sive excultos, sive invectos fuisse, vitamque hominum contractis undique opibus tolerabiliorem factam esse. Sed præfatum jam satis est.

DE

COLUMELLÆ

VITA ET SCRIPTIS

Non ullus aratro
Dignus honos.
(VIRG, *Georg.*, I, v. 506.)

CAPUT I.

DE COLUMELLÆ VITA.

Agricolaris præceptio per se obscura est, minusque inde aufertur gloriæ, quam ex rhetorum aut grammaticorum magisterio. Humano generi ita natura comparatum est, ut specie magis capiatur quam utilitate: poetarum nugas ad nubes extollit, sordidaque ea existimat, quibus alitur, studia. Ubi sunt Græcorum de rebus rusticis tot volumina? ubi tot Romanorum? Non defuere qui vanas in omni genere fabulas, ad tædium posteritatis, transcriberent. Excidit Pœni Magonis labor, senatus consulto in latinum sermonem translatus. De quo magis incusanda videtur hominum levitas, quam fortunæ lubido. Paucorum etiam, qui permanserunt, non pro cujusque merito, sed ut nomen sibi quisque aliunde fecerat, enotuit fama. M. P. Catonis ceteræ laudes

truncos illos et incompositos de re rustica commentarios non parum illustravere. Nec minimam Varronis Virgiliique de rusticatione præceptis, cum illius insignior in universa rerum natura sagacitas, tum alterius divina illa pangendi facultas addidit claritudinem. Qui, cum multiplicem, ille agendo, hic scribendo, nobilitatem consecuti sint, quanta apud posteros laude, tanta apud æquales fama valuere. Columella, nec publicis rebus gerendis, nec omni omnium rerum scientia, nec carminum gratia nomen sibi quæsivit, sed, omissis ceteris, unius studii vir fuit, et quidem ignobilis, cum eo scilicet tempore, quo inhonesta et quodammodo pudenda videretur disciplina ruris, ei vitam et ingenium destinarit atque impenderit. Itaque, cum inter summos hujus artis magistros non modo principem locum ratione et usu meruerit, sed et optimos dicendi artifices componendæ et ornandæ materiæ diligentia æquaverit, non tamen in eam lucem emersit, ut haberetur in clarissimis ætatis suæ scriptoribus; sed villaticis in loculamentis cum Magone et Sasernis ita penitus jacuit, ut ne Seneca quidem, quanquam æqualis, et popularis, et cum Nomentana vicinitate, tum communi cum Gallione necessitudine, ut verisimilia sequamur, familiaris, ullam de eo vel mentionem fecerit. Plinius quidem, studiorum similitudine inductus, nonnunquam ejus disciplinis usus est, non eo tamen animo, ut assumpta quæque auctori gratia referret, aut quidquam de eo memoriæ tradendum judicaret. Quod ejus silentium cum posteriores, quanquam in laudando plerique minus parci, omnes tamen imitati sint, nihil de Columellæ vita aut moribus accepimus, nisi quod ipse aut apertum aut interpretandum nobis tradidit. Ille vero de se commemorandi facultatem, quanquam ea sæpius incideret, plerumque prætermisit ac quasi fugitavit, singulari quidem verecundiæ exemplo cum in toto et tam longo voluminum decursu vix

aliquot verba reperiantur ad ejus vitam pertinentia, et quæ percontantis exspectationem magis moveant, quam expleant. Sed, præterquam quod non in minimis laudibus sit propria laudatione abstinuisse, majoremque sibi silendo, quam alii inmoderate de se loquendo, pepererit existimationem, tanto studio animum intendit proposito, ut, quo minorem sui respectum habuerit, eo magis ingenium toto quasi operis corpore perfusum in apertum protulerit.

Columellæ vitam ex ipso opere Beroaldus primus collegisse videtur, quam quidem hisce verbis tradit : « Gaditanus fuit, id quod conjicere licet ex lib. quinti cap. quinto, cum ait : M. quidem Columella patruus, etc., item lib. septimo, cap. II, ubi ait : Nam cum in municipium Gaditanum, etc., item lib. octavo. cap. decimo sexto, ubi est : Ut atlantico faber qui generosissimis piscibus adnumeratur in nostro Gadium municipio, etc., item lib. X, de lactuca hoc versu : Et mea quam generant Tartesi littore Gades. Vixit Claudii imp. temporibus, id quod conjiciatur ex lib. III, cap. III, ubi Senecæ, ejusque vinearum, et Nomentanæ meminit regionis, Corn. Celsi coætaneus, cujus non sine honoris præfatione, animique candore sæpius mentionem facit. Scripsit XII de re rustica libros (de eo autem qui est de Arboribus ambigitur) non minus docte quam diligenter. Librum item lustrationum sacrificiorumque priscorum pro frugibus : cujus meminit lib. III, cap. XXII. Libros quoque adversus astrologos et Chaldæos : quos se profitetur composuisse, lib. XI, cap. I. Hactenus quod astruere possumus[1]. »

Eadem fere, nec expressiora, Gesnerus (*Scriptores rei rusticæ* t. I, *Præf.*) et Schneiderus (*Scriptores r. r.* t. II,

[1] *Columellæ vita ex ipso opere collecta*, apud Aldum, anno MDXXXIII. Vide etiam Philippi Beroaldi in libros XIII Columellæ annotationes, p. 1. (Lugduni, 1541.)

Præf.) de Columellæ vita retulere. Quorum jejunitatem ætatis nostræ plerique, Du Petit-Thouars (*Biog. univ.* de Michaut), Schœll (*Hist. de la litt. rom.*), Didot (*Biog. univ.*) commentariis inconsulte ac temere amplificaverunt, ac quasi calamistris inurere ridicule conati sunt. Ad Beroaldi modestiam Teuffel rediit, locisque ab illo collectis Tarentinam inscriptionem, de qua mox dicturi sumus, tempestive præposuit, nonnulla etiam minoris momenti indicia adjecit. Quæ omnia nobis in animo est interpretari, et, si qua lux undecumque accedere potest, iis explanandis ac colligandis adhibere.

In Gaditano municipio L. Junius Moderatus Columella natus est[1]. Quo vero certo tempore, satis obscurum. Male quidem suam ipse ætatem definivit obiter referendo avorum suorum T. Varronem æqualem fuisse[2]; sed, collatis aliis locis, de quibus infra disputatio est, certa ratione inferre licet Columellam cum Annæo Seneca et C. Plinio Secundo convixisse, et in id tempus incidisse, ut alterius potissimum æqualis, altero plures annos major natus videretur[3]. Romano eum loco ortum esse, eo magis ad credendum adducimur, quod, præter illud *Columellæ* cognomen, quo Romæ vulgo censebatur servus major domus[4], nil, nisi romanum, toto ex ejus opere eminet ac redolet. Antiquorum laudator, de Cincinnatis, Curiis Dentatis ceterisque latini nominis luminibus, non alio sermone quam Cato aut Varro, « majores

1 « In nostro Gaditano municipio... » *De R. r.* VIII, 16. -- « ... mea, quam generant Tartesi littore Gades. » *Ibid.* X, v. 185; ceteraque paulo ante a Beroaldo jam prolata.

2 « ... sicut M. Varro jam temporibus avorum conquestus est. » *Ibid.* I, *Præf.*

3 Hoc nobis jam nunc lector concedat, quod postea demonstrabitur, Columellam paulo ante mortem Senecæ, idque jam senem, opus suum *de Re rustica* scripsisse.

4 Lucilii fragmenta. Ex libro XXII *Satirarum*, 2.

nostros » eos appellans, commemorat, eorumque exempla, tanquam domestica, et minime veteratoriis verbis extollit. Nil Hispanicum aut provinciale ejus scriptis aut moribus inest, nulla in loquendo jactantia, nullus tumor, argutiæ nullæ, nil denique ex iis munditiis aut molestiis, quibus Senecæ aut Lucani arguitur genus, sed, ut sensuum, ita verborum inaffectata et, ut ita dicam, romana veritas. Nec profecto Gaditanum eum fuisse cuiquam occurreret nisi aliunde id compertum esset.

De patre nil retulit, sed patruum, M. Columellam[1] *virum illustribus disciplinis eruditum ac diligentissimum agricolam Beticæ provinciæ* magnis extollit laudibus[2] et de eo libenter narrat. Ille quidem, cum agros, vineas et pecora in eodem illo Gaditano municipio possideret, pari solertia utebatur in tribus illis rusticationis partibus administrandis, nec modo in agendo et observando diligentem, sed et promptum, et sagacem, et constantem se præbebat in experiendo. Cujus ne singula persequamur, hæc tamen non prætermittenda videtur usurpatio, sabulosis scilicet locis cretam ingerendi, cretosis ac nimium densis sabulum, unde quæstus erat duplex, cum « ita non solum segetes lætas excitaret, verum etiam pulcherrimas vineas efficeret[3] ». Talis igitur viri cum exemplo et præceptis Columellæ adolescentia formaretur, haud parum incitata esse videtur ad

[1] « ... Son père, Marcus Columelle... », ait Schoell patruum ejus pro patre ducens.

[2] « ... M. Columellam patruum meum doctissimum et diligentissimum agricolam sæpenumero usurpasse memoria repeto... » *De Re rustica* II, 15. — « M. quidem Columella patruus meus, vir illustribus disciplinis eruditus ac diligentissimus agricola Beticæ provinciæ... » *Ib.* V, 5. — « M. Columella patruus meus acris vir ingenii, atque illustris agricola... » Id. VII, 2. — « ... Columella patruus meus, illustris agricola... » Id. XII, 21.

[3] *De Re rustica*, II, 15.

rusticationem. Nam patruo satis multos annos eum convixisse, cum ex ejus verbis[1], tum inde inferre licet, quod non auribus, sed oculis comperta, et diutius observata, nec nisi jam prudenti conspicua de eo retulit.

Ceteras vero artes non in Betica provincia videtur didicisse. Non quod ibi defuerint magistri; sed, præter illa, quæ supra diximus, ii tum florebant, quorum oratoriam institutionem et artificiosum dicendi genus Romam Annæus Seneca transtulit et propagavit. Cum vero adventitius ille fucus vel Romanos et Romæ edoctos ceperit et imbuerit, nonne magis absurdum videretur Gaditanum virum in ipso tanquam pestilentiæ domicilio incorruptam alienigenæ scilicet et assumptæ eloquentiæ formam potissimum servavisse, Non quidem Beticorum rhetorum ex officinis, si qua styli fides est, ortus ille judicabitur, sed ex veteri illa disciplina, cujus, ut princeps ac magister M. Tullius olim fuerat, sic propugnatorem et restitutorem Quintilianus se postea gesturus erat. Unum sane Ciceronem inter ceteros oratores vel philosophos, tum laudando, tum vel ad verbum imitando prosecutus est. Nec minor ejus fuit in Virgilium, non jam studium dicam, sed pietas ac religio : cujus « vatis maxime venerandi » et diligentia in docendo, et jucunditate in dicendo æque permotus, non modo præcepta operi suo sæpius intexuit, verum etiam ac velut « instigante numine » vestigiis ingressus est. Ceterum, cum poetis et oratoribus indulgeret, necnon philosophiæ et historiæ ceterarumque, ne omnes percurram, liberalium artium studio se dedisse manifestus est.

His igitur instructus disciplinis, ad forum aut rem publicam videbatur accommodatus. Forensem vero operam

[1] « ... M. Columellam patruum meum .. *sæpenumero usurpasse* memoria repeto... » *Ib.*

quam tenuissime æstimasse deprehenditur, cum asserit « sine causidicis olim satis felices fuisse, futurasque esse urbes » ; imo vehementer respuit et odit « caninum » illud studium « locupletissimum quemque adlatrandi et contra innocentes ac pro nocentibus... concessum intra mœnia et in ipso foro latrocinium[1] ». Neque is erat qui « salutatoris mendacissimum aucupium circumvolitantis limina potentiorum » imitaretur, et « miserrimo famulatu per dedecus fascium decus et imperium, profuso tamen patrimonio », mercaretur. « Nam, ut ait, nec gratuita servitute, sed donis rependitur honor. » Cum igitur patrimonium et dignitatem servare vellet, neque eo esset ingenio ut per obsequium et ambitionem ad præcipitia Senecam comitaretur, ad militiam se contulit. Tribunus militum legionis sextæ ferratæ in Cilicia Syriaque meruit, atque ibi, quod ipse significat, aliquandiu commoratus est[2]. Hanc cum haberet peregrinandi causam, supervacaneum est ejus auctoris sententiam referre, qui ad rusticationem asiaticam inspiciendam inceptum illud iter excogitavit[3], ignorantia scilicet inscriptionis Tarenti repertæ et hisce verbis conceptæ :

[1] *De Re rustica*, I, *Præf.*

[2] « Hoc quidem semen in Ciliciæ Syriæque regionibus ipse vidi mense junio julioque conseri et per autumnum, cum permatuerit, tolli. » *De Re rustica,* II, 10. Eo loco, quod Beroaldus non animadverterat, hisce verbis Gesnerus utitur : « Ex eo quod Syriam Ciliciamque se obiise indicat, forte non injuria collegerit aliquis, cum imperio, certe cum potestate, ibi eum fuisse ». (*Præf.,* p. XVI). Quam conjecturam *vanam prorsus* fuisse parum acute Schneiderus declarat. (T. II, *Præf.*, p. 2)

[3] « Voulant acquérir plus de connaissances, il voyagea dans les diverses parties de l'empire romain pour en connaître toutes les productions, ainsi que es différentes méthodes de cultiver, etc., etc... » Du Petit-Thouars, *Biog. univ. de Michaut.* De peregrinationibus illis expressiora alius auctor *(Biog. Didot)* somniavit : « Quelques années après, il parcourut la Péninsule ibérique, la Gaule, l'Italie et la Grèce, plusieurs provinces de l'Asie mineure, particulièrement la Cilicie et la Syrie. Il vit aussi les côtes de

« **L. Junio L. f. Gal. Moderato Columellæ, trib. mil. leg. VI ferratæ** [1]. »

Hanc quidem inscriptionem aliquantulum in dubium, sed temere, Muratori vocavit. « Nescio, ait, an forte ex hoc marmore Tarentinorum quisquam exsculpsisse voluerit, Columellam, celebrem sub Claudio Augusto *Rei rusticæ* scriptorem, Tarentinæ urbis civem fuisse, aut ibi saltem vita functum invenisse sepulcrum. Certe scriptor ille hoc eodem nomine et cognomine donatus fuit, scilicet *Lucius Junius Moderatus Columella*, sed satis constat, Columellam scriptorem Hispanum, et quidem Gaditanum fuisse ; ita ut, si quis Tarentinum ex hoc marmore voluisset, confictæ inscriptionis suspicio oriretur. » At, si nemo id voluerit, quid de isto argumento fiet? aut, si quis voluit, unde id Muratori compererit? Nunc autem sic collige mecum, ac responde. Utrum ais hanc inscriptionem confinxisse, doctumne hominem, an indoctum? Si doctus confictor ille fuit, Gaditanum Columellam fuisse non ignoravit, nec rei omnibus perspicuæ tam impudenter repugnare potuit ; si indoctus, mira quidem fortuna conficta veris accomodavit. Unde enim didicerit : 1° Galeriæ tribus Columellam fuisse ; 2° hanc eamdem in Betica provincia et in ipso Gaditano municipio sedem habuisse [2] ; 3° legionem VI ferratam, ut ex aliis inscriptio-

l'Afrique méditerranéenne, etc... » *Dum peregre est animus*...Sed et Gangeticas scilicet regiones ille viderit, siquidem de Gangeticis avibus memorat ! Prudentius Schœll ait : « On ignore s'il alla dans ces pays en simple voyageur ou avec quelque mission du gouvernement, car on ne sait rien des circonstances de sa vie. »

1 Tarenti reperta est hæc inscriptio in fundamentis ædiculæ S. Cataldi, anno p. Ch. 1685. Mommsen, C. I. L., IX, 235. Cf. id. IX, 5362.

2 Grotefend : *Imperium romanorum tributim descriptum,* p. 109. Idem sex inscriptiones transcribit Gaditanorum, qui tribus Galeriæ fuerant, nec dubitat quin Tarentina illa omnino certa sit. *Alt. Viss.*, 1835, p. 180.

nibus constat[1], Syriæ proximarumque provinciarum, iisque temporibus, quibus Columella ibi versabatur, in præsidio fuisse[2]? unde, inquam, omnia illa didicerit, quæ vel doctos ad nostrum tempus effugere. At doctus ille fuerit, idque tantum exsculpsisse voluerit, Columellam Tarenti vita functum esse, ibique invenisse sepulcrum. Cur autem id confictum esse suspicio cuiquam inciderit, cum tota jam inscriptio veritatis speciem præbeat ceterisque rebus cognitis plane congruat. Id igitur jam compertum habebimus Columellam in Syria Ciliciaque tribunum militum fuisse. **Πηνίκα δὲ μάλιστα**, tantummodo conjectura ducimur ad suspicandum. Traditur a Tacito legatum M. Trebellium quemdam (de quo nihil amplius accepimus) a Vitellio, præside Syriæ, cum quatuor millibus legionariorum missum esse ut Clitarum nationem, quæ in juga Tauri montis abscesserat, (anno ab U. C. DCCLXXXIX, p. Ch. 36) debellaret[3]. Porro eodem M. Trebellio Columella familiariter usus esse videtur[4]. Ambos in Asia tunc commilitasse, atque hinc inter se eos amicitiam conjunxisse haud affirmaverim; sed, præter

1 Mommsen, C. I. L., III, 254, 292.

2 « ... Initio ab Syriæ usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur (Syria, Cilicia, Asia, Bithynia), quatuor legionibus (VIa ferrata, IIIa gallica, Xa fretensi, XIIa fulminata) coercita. » Tac. *Ann.* IV, 5. Legio VI ferrata ab Augusto ad Vespasianum in Syria, Raphaneæ, vel Apameæ, vel Laodiceæ ad mare permansit (*Ibid.* II, 79, 81; XIII, 38, 40; XV, 6, 26); nec bello sæpe intra id tempus præclara fuisse videtur. « Syria transmotæ legiones, ait Tacitus, pace longa segnes, munia castrorum romanorum ægerrime tolerabant. Satis constitit fuisse, in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent, sine galeis, sine loricis, nitidi et quæstuosi, militia per oppida expleta. » (*Ibid.* XIII, 35.) Cf. Pauly: *Real Enc.* IV, p. 883.

3 Tac., *Ann.* VI, 41. — 4 «... Cum de commetiendis agris rationem M. Trebellius noster requireret a me...» *De R. r.*, V. 1.

nominum similitudinem, temporum ratio satis congruit[1], ut omnia illa inter se apta et connexa videantur.

Ceterum ex militia bellicum nescio quid tractum et animo velut inustum in illo agricolationis magistro facile deprehenderis, ut interdum dubites, utrum fundi dominus villicum, an exercitum tribunus militis commoneat: quasi eodem animo ferro et aratro utendum sit, aut iisdem colenti et pugnanti opus sit virtutibus. Hujusmodi quidem sensibus Columella videtur instinctus, cum his verbis villicum suum erigit: « Hoc... custodire oportet villicum, ne statim a prima luce familia cunctanter et languide procedat, sed velut in aliquod prœlium cum vigore et alacritate animi præcedentem eum tanquam ducem strenue sequatur, variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes: et interdum, tanquam deficienti succursurus, ferramentum auferat parumper, et ipse fungatur ejus officio, moneatque sic fieri debere, ut ab ipso fortiter sit effectum[2]. » Ipse, cum e civitate in fundum remeavit, confestim fines oculis perlustrat, omnes partes agri revisit atque æstimat « numquid absentia sua de disciplina et custodia remiserit; num aliqua vitis, num arbor, num fruges absint; tum etiam pecus et familiam » recenset « fundique instrumentum et supellectilem; ipse panis potionisque bonitatem gustu suo »

[1] Paululum a Seneca Columellam ætate discessisse jam supra, ut nobis concessum esset, rogavimus. Itaque, si recte conjecerimus, triginta annos quadragintave tunc noster habuerit. Alium quidem Trebellium fuisse non ignoramus, Trebellium scilicet Maximum, qui census per Gallias egit, anno p. Ch. 56, postea Britanniæ indecore præfuit. (Tac., *Ann.*, XIV, 46; *Hist.*, I, 60, II, 65; *Agric.*, 16.) At segnior ille dux sordidusque vir non *M.* Trebellius, sed Trebellius *Maximus* sine prænomine ac cum cognomine in omnibus locis a Tacito vocatur. Præterea in Occidente rebusque publicis gerendis idem videtur versatus esse, dum M. Trebellius de agris commetiendis Columellam interrogabat.

[2] *De Re rustica,* XI, 1.

explorat; « vestem, manicas, pedumque tegmina » recognoscit; servorum de querimoniis aut delictis quæstionem habet, juste dolentes vindicat, animadvertit in seditiosos et nocentes, eo denique animo, quo dux exercitum, agrum suum revisit[1].

In hoc igitur duplici studio, quo tot alii Romani generis memorabiles duces floruerant, versatus est « vel defendendi, vel colendi patrios quæsitosve fines, » majus tamen colendo quam militando nomen sibi parturus: quippe qui magis serendis quam populandis agris natura accommodatus esset. Mitior enim ingenio fuit quam ut militia, « quæ nobis nihil sine sanguine et cladibus alienis affert[2], » multum delectaretur. Et revera, cum in Ciliciæ Syriæque regionibus stipendia faceret, bellicis rebus ab agriculturæ studio non avertebatur; sed etiam tum observandis segetibus et operum temporibus notandis animum intendebat[3], patrui fortasse conditionem jam votis expetens et patrios desiderans agros. Cum enim rei rusticæ studio, tum insita quadam sapientia deterrebatur, ne certæ sedi vagandi morem anteponeret « semperque, ritu volucrum, longinqui littoris peregrinus ignotum » pererraret « orbem[4]. »

Quo vero tempore ad Penates remeaverit, in obscuro est, nisi quid inde collegeris, quod L. Volusium de agricultura disserentem audiit[5]. Sed cum anno ab U. C. DCCCIX

1 *De Re rustica.* I, 8.— 2 *Ib.*, I, *Præf.* — 3 *Ib.*, II, 10. — 4 *Ib.*, I, *Præf.*

5 « Ipse nostra memoria veterem consularem virumque opulentissimum L. Volusium asseverantem audivi...» *Ib.* I, 7.

L. Volusius, filius erat L. Volusii Saturnini, de quo Tacitus sic memorat: « Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia neque tamen præturam egressa: ipse consulatum intulit (ann. 12, a. Ch.)... opumque, quis domus illa immensum viguit, primus accumulator. » *Ann.*, III, 30. Ipse consul fuit (ann. 3, p. Ch.). Ejus mortem (ann. 56, p. Ch.) hisce verbis Tacitus prosequitur: « L. Volusius egregia fama concessit, cui tres et nonaginta anni spatium vivendi

(a Christ. 56) vetus ille consularis obierit, satis aliunde compertum videtur multo ante ejus mortem Columellam agriculturæ se contulisse. Multis enim temporibus antequam scriberet, (scribebat autem paucis post annis), ipse refert se habuisse in Ardeatino agro vites generis aminei « numero quidem perpaucas, sed ita fertiles, » ut in jugo singulæ ternas urnas præberent, in pergulis autem singulæ denas amphoras peræquarent[1]. » Observare igitur et experiri non modo jam inceperat, verum etiam aminei pristinam fecunditatem, quod ejus studium fuit, jam tum restituerat. Ceterum, nonnisi longo usu rei rusticæ docendæ magisterium paratur, nisi quis alienæ sapientiæ compilator assiduus vera falsaque indiscriminatim congerere maluerit. Non autem is fuit Columella ut lecta tantum, non experta et explorata consignaret. Unde satis manifestus est, ne cetera persequar argumenta, non senectutem modo, sed majorem vitæ partem in agris colendis consumpsisse.

Conjectum ab auctore quodam est, ne dicam fictum, Columellam in patrui opes successisse[2]. Illius vero hereditariæ possessionis nullam, nec ipse, nec alius quisquam, mentionem fecit. Quinimo, cum de suis fundis sæpius retulerit, ne uno quidem verbo se quidquam unquam in Gaditano agro habuisse significavit. At fundos haud procul ab Urbe circumjectos plures eum possedisse certum est, sed

præcipuæque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia, fuerunt. » *Ann.* XIII, 30. Cf. *ibid.*, XIV, 56 : « Nisi forte... quantum Volusio longa parsimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. »

De ejusdem filio, Q. Volusio, qui censum per Gallias cum Trebellio Maximo egit, consulque et ipse fuit, vide *ibid.*, XIII, 25, XIV, 46.

1 «... Cum et in Ardeatino agro, quem *multis temporibus* ipsi *ante possedimus*... vites.., habuerimus...» *De Re rustica*, III, 9.

2 « Placé par son père à la tête de l'administration de ses biens unde et illud accepimus?) et devenu l'héritier d'un oncle, etc. » (*Biog. Didot.*)

utrum a majoribus traditos eos acceperit, an pretio sibi paraverit, haud compertum habemus. Quod superest, nisi vanis verbis pravos quæstus exagitaverit, pro certo teneri potest neque bellicis rapinis, neque delatorum latrocinio, neque adulatione, ne alea quidem negotiationis sua eum paravisse bona.

De fundo, quem in Ardeatino agro multis temporibus possederat, nihil jam amplius dicemus, cum supra ejus notaverimus vetus illud et indigenum vitium genus amineum, tunc ab omnibus contemptum, incolendi et restituendi studium[1]; sed de ceteris nunc pauca dicturi sumus. Proximus ab Urbe erat in Nomentano decimi circiter lapidis diverticulo. Hæc suburbana, inter cetera, vilia erant, et soli quidem pessimi, sed vineis, modo diligentia coloni accederet, maxime idonea. « Nomentanæ (vineæ), ait Plinius, vini nobilitate subsequuntur amineas, fecunditate vero etiam præveniunt: quippe enim cum se frequenter impleant, et id quod ediderunt, optime tueantur[2]. » In ea regione Acilius Sthenelus quidam, e plebe libertina, summam adeptus erat gloriam « LX jugerum non amplius vineis excultis... atque $\overline{\text{CCCC}}$ nummum venumdatis[3]. » Nec minorem famam Rhemnius Palemo, alias grammatica arte celeber, in eodem Nomentano et iisdem temporibus consecutus erat. Ibi enim rus $\overline{\text{DC}}$ nummum, « ac ne in pessimis quidem elegantioris soli », mercatus, cum aggressus esset excolere « non virtute animi, sed vanitate primo.., pastinatis de integro vineis cura Stheneli, dum agricolam imitatur, ad vix credibile miraculum perduxit, intra octavum annum $\overline{\text{CCCC}}$ nummum emptori addicta pendente vindemia ; cucurritque nemo non ad spectandas uvarum in iis vineis strues, litteris ejus altio-

[1] Cf. Plin , *Natur. Hist.* III, 2. — [2] *Ib.*, XIV, 5. — [3] *Ib.*

ribus contra id pigra vicinitate sibi patrocinante[1] ». Quas vineas quadruplicato, decimo fere post anno, Seneca mercatus, proximum sibi Columellam fecit. In hoc prædium, tum metu febris aut reipublicæ curam positurus, tum summo ejus amore perductus, libenter secedebat, aut potius, ut ait ipse, fugiebat[2]. Corpore et animo reviviscere videbatur, ubi vineas attigerat[3] : quippe qui, non modo ruris amator fuerit, sed etiam « vinearum diligens fossor[4] » haberetur. Magnos quidem inde quæstus ab eo factos Columella auctor est. « His... temporibus, ait, Nomentana regio celeberrima fama est illustris, et præcipue quam possidet Seneca, vir excellentis ingenii atque doctrinæ, cujus in prædiis vinearum jugera singula culleos octonos reddidisse plerumque compertum est[5]. »

Minus superbe Columella suas in eadem regione demetebat uvas ; at in agro Ceretano[6] etiam uberiores vindemias colligebat, ut « octogenæ stirpes intra biennium septenos culleos peræquarent » et « primæ vineæ centenas amphoras jugeratim præberent[7]. » Ibi Publio Silvino, ad quem suos *de Re rustica* libros misit, utebatur vicino, et surculis ab eo petitis, eque una præcoque vite excerptis, duo jugera vinearum intra tempus biennii, insitione facta, consummaverat[8]. Hoc scilicet vix credibile apud Publium Silvinum acciderat, ut aliqua ejus vitis excederet uvarum numerum duorum millium. Quæ cum Ceretania ederet prodigia,

1 *Ibid.* — 2 « In Nomentanum meum fugi. » Senecæ *Epist.* 104. « Ex Nomentano meo te saluto » id., *Epist.* 110.

3 « Quantum deinde adjectum putas viribus, postquam vineas attigi. » Id., *Ep.* 104.

4 Id., *Natural. quæst.*, III, 7. — 5 *De Re rustica,* III, 3.

6 « ... perque Pyrennæum, Cerretani; » Plin., III, 45. Nisi forte *Cæretano* (Cære) legendum sit, quod nobis satis placeret.

7 *De R. r.*, III, 3. — 8 *Ib.*, III, 9.

minus mirum videbitur, si tam remotum fundum, vel improbans hujus modi possessiones, Columella retinuit : nam, ut ait, « qui longinqua, ne dicam transmarina, rura mercantur, velut heredibus patrimonio suo, vel quod gravius est, vivi cedunt servis suis[1]. »

Tertium prædium ejus fuit in agro Carseolano[2], quo via primo Tiburtina, deinde Valeria, accedebatur. Vitifera et illa regio erat, in planitie et pingui solo. Diverso fere itinere, Appiaque via, aditus erat ad quartum ejus fundum, propius ab Urbe et in Albano agro[3] situm. Primum locum obtinebant hujus soli vina, posteaquam interciderat Cæcubum, cum incuria coloni locique angustia, tum fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat[4]. Falernum autem, ut cura culturaque paratum, sic copiæ potius quam bonitati studentium avaritia exoletum vel secunda nobilitate cesserat Albanis. Quorum duplex genus erat, prædulcibus aliis, aliis austerioribus. Omnis igitur generis et nominis vina Columella condidit; sed, cum in vinealibus regionibus omnes suos, quos quidem novimus, fundos habuerit, non ita tamen eos addixerat vineis, ut ceteris frugibus non essent utiles; neque ea locorum et fructuum varietate parum adjutus est, ut omnes agricolationis partes in omnibus experiretur.

Ne tamen eum credideris latifundia, ut temere dictitatur[5], sed modicæ potius amplitudinis, quamquam magni quæstus, possedisse prædia. De quo ipse auctor est. Non « quisquam, ait, nobis facile crediderit, tantam in *agellis* esse nostris abundantiam vini, quantum tu, Silvine, novisti[6]. »

1 *De R. r.*, I, 1.

2 « ... Cum et in Ardeatino agro... et in Carseolano itemque in Albano generis aminei vites... habuerimus. » *Ib.*, III, 9.

3 *Ibid.* — 4 Plin. *Natur. Hist.*, XIV, 18.

5 « Columelle était un grand propriétaire. » *(Biog. Michaut.)* — 6 *De Re rustica*, III, 3.

Ceterum, in tantum famæ ejus vites processerant, ut non inviti duplicato viviradices ab eo rustici mercarentur[1]. Nec eum fefellisse videntur ceteræ agricolationis partes, raro quidem felicitatis exemplo, cum id studium prudentissimus quisque bonorum jactura sæpe luerit. Itaque non acerbum quidquam, aut queribundum in toto librorum decursu repereris, nisi de malo quodam vicino, « qui nec arborem prolixiorem stare... nec inviolatum seminarium, nec pedamentum adnexum vineæ, nec etiam pecudes negligentius pasci » sinebat[2].

Quod superest, is erat fundorum circumjectus, ut urbana sede Columella opus esset. Et revera Urbis domiciliis utebatur, quanquam Pœni Magonis vetus illud verbum optime noverat : « Qui agrum paravit, domum vendat, ne malit urbanum, quam rusticum larem colere » ; verum inde in villas commodius circumferebatur. In iis vero, quidquid datum erat occasionis, morabatur. Neque ea mora segnis fuit, nec umbratilis, sed ut agrorum suorum particulas omnes circumiret, quidque in iis faciendum esset, doceret villicum, potius quam audiret. Neque utilitate tantum, sed etiam voluptate et agrestium operum studio ad assidue rusticandum inductus est. « Hinc anni labor » erat, hinc et nominis spes. Censebat enim tum id esse genus amplificandi relinquendique patrimonii, quod omni crimine careret, tum exagitandam esse vulgarem illam existimationem, rem scilicet rusticam sordidum opus et id esse negotium, quod nullius egeret magisterio præceptoris. Qua de sententia, quidquid tradiderant veteres, sive Græci, sive Latini, rei rusticæ auctores, in loculamenta sua coegerat. Quos ad perlegendos, non solum discendi studio, verum etiam docendi æmulatione accendebatur. Neque id

[1] *De Re rustica*, III, 3. — [2] *Ib.*, I, 3.

studium parum contulit, ut quos assectaretur, rursus ipse æquaret et superaret.

Quo vero tempore libros suos *de Re rustica* ediderit, nonnulla controversia est. Eorum sententiam non refero, qui primo seculo Columellam scripsisse tradiderunt, quod nemo negat; ejus etiam omitto conjecturam, qui ad annum 42 p. Ch. libros ejusdem sine argumento refert[1]. Sub Nerone Columellam scripsisse jam omnes consentiunt, anno potissimum 62 Teuffel conjicit. Animadvertendum primum est, non uno tenore, sed separatim et singulis singula temporibus sua eum edidisse volumina, quod infra quidem aperte demonstrabitur. Non id igitur quærendum est, quonam tempore libros suos de rusticatione conscripserit, aut in lucem prodiderit, non enim unius anni is labor fuit, sed quibus hunc vel illum temporibus exaraverit aut miserit librum. His quidem circumscripta finibus jam expediri potest controversia. Notatione vix dignum id putamus Cornelio Celso[2] et Julio Attico[3] eum sæpius usum esse, et rursus a Plinio haud semel usurpatum esse, cum hunc inter et illos id fuerit temporis intervallum, ut nihil, nisi jam perspicuum, inde colligi possit. Nec multum profecerit didicisse Cornelii Celsi Julium Græcinum[4], Juliique Græcini Columellam libros secutum esse, siquidem obscurior est de illis, quam de nostro, controversia. Omitto pariter indicia ex sermonis

1 « Columelle... vécut sous le règne de l'empereur Claude: il a composé ses ouvrages vers l'an 42 de notre ère. » Du Petit-Thouars, *Biog. Michaut.*

2 De Cornelio Celso, V. Col. I, 8; II, 2, 9, 11; III, 1, 2, 17; IV, 1, 8, 10, 28; V, 6; VI, 5, 12, 14; VII, 2, 3, 4, 5; VIII, 13; IX, 2, 6, 7, 11, 14. Plin. I, 7, 8, 10, 11, 14, 15, 17, 18, 19.

3 De Julio Attico, V. Col, III, 3, 11, 16, 17, 18, IV, 1, 2, 8, 10, 13, 28, 29, 30, 33. Plin. I, 14, 15, 17; XVII, 90.

4 De Julio Græcino, V. Col. III, 2, 3, 12; IV, 3, 28. Plin. I, 14-18; XIV, 33.

specie aut verbis quibusdam interpretandis quæsita, quippe leviora, quam ut iis uti possis, jamque devenio ad certiora argumenta. Unica temporis finitio occurrit satis luculenta, cui fidere, et qua ad dirimendam hanc litem uti licet. In tertio *de Re rustica* libro Columella de Seneca, ut supra memoravimus, et iis quidem verbis loquitur, ut nullus dubitationi locus sit, quin hunc librum ante ejus mortem composuerit[1]. Nec multo ante compositum eum etiam concesseris, si Plinio recte utamur ad temporum computationem. Is enim tradit Senecam Nomentanum suum a Palemone emisse « intra decimum fere curæ annum », id est decimo fere anno post hunc fundum a Palemone emptum. Porro ipse auctor est grammaticum illum rus sibi paravisse « in hisce XX annis », id est, vicesimo circiter anno antequam ea traderentur. Jam cum certum sit anno ab U. C. DCCCXXX Plinium de Palemone retulisse[2], non adstrictius quidem verba ejus interpretari debes, nisi grammaticum velis anno ab U. C. DCCCX prædium suum mercatum esse, et idem Senecæ anno ab U. C. DCCCXX (a Chr. 67), duobus scilicet annis post emptoris mortem, vendidisse. Negligentius quidem, utpote de levioribus, tempora illa Plinius finivit, præterque solitum satis ei visum est, si summatim ea notarentur. Prolatandum igitur pluribus annis est viginti annorum spatium illud, præsertim cum idem auctor in eodem loco animadvertat hanc emptionem factam esse, florente adhuc Seneca, « principe tum, ut propriis ejus verbis utamur, eruditionis ac potentiæ, quæ postremo nimia fuit super ipsum », eo forsitan tempore, quo traditur a Dione magnas pecunias (quadringenties sestertium) a Britannis subito exegisse[3], anno scilicet ab

[1] V. p. 20 « Nomentana regio... quam *possidet* Sereca, etc. »
[2] Hoc tempus ab ipso Plinio notatur, XIV, 5. — [3] Tac., *Ann.*, XIII, 42.

U. C. DCCCXI (58), aut potius aliquanto post, ne prolixius Plinianam temporis notationem interpretemur. Nam, si quid certioris ex ea colligi potest, novissimas inter Senecæ possessiones Nomentanam emptionem ponere convenit. Quibus vero concessis, jam occurrit temporis, de quo quærimus, satis certa finitio. Nam, priusquam de Nomentana ubertate Columella referret, haud semel in ea regione Seneca vindemiam fecerat, siquidem in ejus prædiis « vinearum jugera singula » culleos octonos reddidisse « plerumque compertum » erat. Unde haud temere conjici posse videtur tertium *de Re rustica* librum in quo ea traduntur, non multo ante ejus mortem, adeoque post eversam ejus potentiam scriptum esse. Et revera satis notatione dignum est Columellam excellentis illius viri ingenium et doctrinam laudavisse tantum, nec quidquam de ejus fortuna addidisse, de qua sane aliquid attigisset, si, velut eruditionis, sic et potentiæ princeps adhuc Seneca fuisset. Præsentis disputationis summa erit hæc. Plinio si qua fides est, non multo antequam moreretur, Seneca Nomentanas vineas paraverat. Columella vero de iisdem memoravit, postquam jam plures vindemias Seneca fecerat, brevissimo scilicet tempore antequam illustris ille vir mortem obiret. Ergo minus apte in annum 62 p. Ch., ut Teuffel conjicit, quam in annum 65, tertii illius voluminis confectio cadit, scilicet in id tempus, quo, omni rei publicæ administratione omissa, tum otio litterario et philosophico magis magisque ille se traderet, tum itineribus, quibus delectabatur, faciendis, accedente quoque valetudine mala, ad Baianas thermas, Neapolim, Puteolos, ad villas suas Albanum, Nomentanum, animi relaxandi et corpus curandi causa, secedebat. Quod superest, a Columella didicimus tres eos libros (III, IV, V), in quibus de surculis agitur, jam compositos esse, sed nondum editos, cum secundus ad Publium Silvinum mitteretur.

De ceteris vero nihil amplius accepimus. At, si nostra argumenta valent, post mortem Senecæ, ii verisimiliter prolati sunt.

Sed, priusquam *de Re rustica* duodecim libros illos Columella scripserit, eamdem materiam, quasi vires suas experturus, brevius ac summatim jam attigerat. Cujus prioris tractatus unus de arboribus liber superest, quem secundum totius operis fuisse omnino certum est. Sic enim incipit : « Quoniam de cultu agrorum abunde primo volumine præcepisse videmur, non intempestiva erit arborum virgultorumque cura, quæ vel maxima pars habetur rei rusticæ. » Atque de primo compendii volumine sine dubio hic agitur, siquidem in eo continebantur res, quas, non in primo, sed in secundo majoris tractatus libro explicatas repereris[1]. Et revera vix dubium nobis videtur Columellam in quatuor libros totius rei rusticæ ordinem, quam duodecim postea explanavit, primo contraxisse, Virgilioque auctore, de agrorum cultu in primo, in secundo de arboribus, in tertio de re pecuaria, in quarto denique libro de villaticis pastionibus egisse. Neque alia est rerum distributio, quas posterius majore voluminum numero consummavit, primo scilicet in duplicem, secundo in tres, tertio quartoque in duo singulis dilatatis. Ceteri vero, quibus expletur duodecim numerus, rogantibus quibusdam, accesserunt, et velut extra ordinem positi sunt. Neque ergo videntur falso indiligentiaque, ut dictum est, scriptoris librarii, sedecim de rusticatione libri a Cassiodoro Columellæ nomini esse addicti[2]. Integrum scilicet Cassiodorus compendium illud habuerit, cujus tres libri nunc desiderantur.

[1] Cf. *De arboribus*, 3 : «... sapor autem (sicuti primo docuimus volumine)... » et *De Re rustica*, II, 2.

[2] «... Columella sedecim libris per diversas agriculturæ species eloquens ac facundus illabitur. » Cassiod., *De Div. lection.*, cap. 28.

Unus vero, qui superest, omnino separari debet a duodecim ceteris, quibus tota res rustica continetur; nec recte eum post secundum olim interposuere, aut interponendum judicavere, temere scilicet eum locum interpretati, quem supra retulimus, sive etiam quia non adverterunt librum de arboribus in tribus sequentibus ab ipso Columella sæpius ad verbum transcriptum esse. Neque alia fortasse ratio quærenda est cur ceteri, transcriptione jam inutiles facti, exciderint, unusque ille superfuerit qui, tum compendiosa brevitate, tum eorum paucitate qui de surculariis scripserant, majorem studiosis hujus partis agricolationis utilitatem adhuc præberet.

Præter eos quos diximus, de astrologia, aut potius adversus astrologos Columella libros composuerat[1]. Sed ii periere omnes.

Nec quidquam superest quo doceamur, an alium, quem de *lustrationum ceterorumque sacrificiorum quæ pro frugibus fiunt more priscis usurpato* conscribere sibi proposuerat[2], revera inceperit ac confecerit. Satis tamen ille demonstratur ne ea quidem putavisse despicienda, quæ vel leviter ad agricolationem pertinerent.

Ne vero eum credideris studio et usu rusticarum rerum ab urbano cœtu in agrestem abditumque vitæ morem secessisse. Nam, cum publicæ rei curam fugisse videretur, non adeo in rus se retraxerat, ut amplissimorum civitatis viro-

1 «... Contra quam observationem multis argumentationibus disseruisse me non infitior in iis libris quos adversus astrologos composueram. » *De Re rustica,* XI, 1.

2 « Certum habeo quosdam... desideraturos lustrationum ceterorumque sacrificiorum quæ pro frugibus fiunt morem priscis usurpatum. Nec abnuo docendi curam, sed differo in eum librum quem componere in animo est, cum agricolationis totam disciplinam perscripsero. » *De Re rustica,* II, 22.

rum colloquio careret[1]. Jam cum Volusio, veteri illo consulari opulentissimoque viro, qui nonagesimum annum attigit, conversatum eum retulimus, legatoque M. Trebellio familiariter usum esse ; necnon Gallione, Annæi Senecæ fratre, quo rogante, decimum *de Re rustica* librum versibus inclusit ; ipsum denique Annæum Senecam inter notos habuisse haud temere conjecimus. Accedunt ii, quibus communi agriculturæ studio jungebatur, Publius Silvinus, alias obscurus, sed rei rusticæ vir consultissimus, quique non inutilem scribenti ei monitorem se præstitit ; item Claudius Augustalis, « tam ingenuæ naturæ, quam eruditionis ado- « lescens complurium studiosorum et præcipue agricolarum « sermonibus instigatus[2], » a quo rogatus cultus hortorum prosa oratione composuit.

Eatenus de Columellæ vita tradiderimus ; nam de morte nihil accepimus, nisi quod ex inscriptione Tarentina conjici potest, eum scilicet Tarenti mortem obiisse ibique sepulcrum invenisse[3]. Neque didicimus an duraverit ad id tempus, quo *Naturalem Historiam* Plinius conscripsit. Hoc tamen animadvertendum videtur laudatori illi Catonis Varronisque Columellam vix placuisse. Quid ergo est ? tantæ eruditionis virum, cujusque studiis haud parum ipse adjuvaretur, adeone contemnendum Plinius judicaverit, ut, etiam vivo debitam, ne mortuo quidem, laudem persolveret ? Sed in incertis cavendum est, ne vehementius talem virum, aut pravi judicii aut ingrati animi insectemur.

1 Sic incipit libri primi Præfatio : « Sæpenumero civitatis nostræ principes audio culpantes modo agrorum infecunditatem... etc. »
2 *De Re rustica*, XI, 1. — 3 Grotefend, *loc. cit.*

CAPUT II.

COLUMELLÆ OPERA QUOAD COMPOSITIONEM ET STYLUM PERPENDUNTUR.

Duodecim libros, quibus totam rem rusticam Columella complexus est, accepimus omnes, nec quidquam singulis detractum esse videtur. Ne ordo quidem compositionis ab auctore institutus mutari potuit, multis certisque indiciis suo cuique loco volumini assignato. Ea vero est totius rei distributio, ut nihil rectius aut illustrius videri possit.

Exorditur Columella ab insectanda suorum mollitie, qui *falce et arato relictis intra murum correpserunt, et in circis potius ac theatris, quam in segetibus et vinetis manus movent*, laudandisque atavis romanis, vera illa Romuli prole, assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitata. Simul agros ab infecunditatis probro et agriculturam a vulgari fastidio vindicat. Sic præfatus, et quidem eloquenter, « antiquæ laudis et artis[1] » ingreditur res, commemoratione veterum, qui, sive græce, sive latine, de re rustica scripserunt. Deinde quæ maxime providenda sint agricolæ futuro de prædii situ, de salubritate, via, vicino, aqua, fundi modo, positione villæ et structura, colonorum et servorum generibus, officiorum operumque distributione ex ordine præcipit, ipso terræ cultu in librum insequentem dilato[2].

[1] *Georg.*, II, v. 173.

[2] His verbis concluditur liber I : «... tempestive per hæc ad ipsum jam terræ cultum pervenimus, de quo pluribus libro insequente mox disseri-

Jam vero quærenti Publio Silvino cur priore libro sententiam repudiaverit « censentium longo ævi situ longique jam temporis exercitatione fatigatam et effetam humum consenuisse », proœmiatur respondendo. Postea recenset terreni genera, pertinentia quæque ad agros parandos edisserit, humidi scilicet soli fossis vel cæcis vel patentibus rationem exsiccandi, rudis expediendi, culti novalis modum arandi et stercorandi. Quibus explicatis, jam occurrit dicere quando quidque serendum sit, quot seminum sint genera, quæ leguminum benignius alant homines, quæque pecudes, postremo quemadmodum quotque operis singula eorum colenda sint. Sequitur pratorum cura, fœnisiciæ, messis, cujus cogendæ supremum est aratoris emolumentum. Denique, ut tam otii quam negotii ratio servetur, monentur agricolæ « quæ feriis facere, quæque non facere debeant. »

« Hactenus arvorum cultus... sequitur arborum cura[1] », quam tres libri continent. Quæritur primo de solo vineis et cœlo eligendo, variisque vitium generibus, amineis, nomentanis, eugeniis, apianis, bituricis, basilicis, visulis, helvolis etc., etc. Quibus recensis, mathematicis rationibus perpenditur et exploratur, an locupletet patremfamilias vinearum ac viviradicium cultus. Deinde per ordinem disseritur de vitiariis legendisque malleolis, præsertimque amineis, utpote ceteris, cum generositate, tum speranda

mus. » Sic autem incipit liber II : « Quæris ex me, Publi Silvine, quod ego sine cunctatione non recuso docere, cur priore libro veterem opinionem.... repudiaverim. » Addit infra : «... de cujus (terræ) cultu dicturos nos priori volumine polliciti, jam nunc disseremus. » II, 1. Unde satis coarguitur vetus opinio falsaque eorum sententia qui secundi voluminis locum libro *De Arboribus* assignaverunt.

[1] Secundus liber sic concluditur: « Finem... præsentis disputationis faciam, dicturus exordio sequente quæ de vineis prodidere veteres auctores, quæque ipse mox comperi. »

fecunditate præstantibus, de seminibus ex feracissima vitis parte excerpendis, de pastinationis officio, vineisque conserendis et per species distinguendis.

Hæc de vinearum positione: quarum cultus, postquam Publii Silvini de superiore commentariis responsum est, mox præcipitur, deque operibus, fossione, pampinatione, ablaqueatione, putatione, impedatione, alligatione, propagatione, jugatione, insitione fuse et ordinate disseritur, necnon pedaminum jugorumque et viminum, quæ quasi quædam dotes vineis ante præparantur, prospiciendorum ratio traditur. His vero de vineis italicis et vinearum instrumentis « non inutiliter et abunde » præceptis, agricolarum provincialium vineaticos arbustique cultus in insequentem quintumque librum Columella rejicit.

Hujus exordium in mensuras agrorum seminumque numeros, Publio Silvino et M. Trebellio rogantibus, non intempestive digreditur. Mox ad prædictum ordinem oratio redit, quæriturque de provincialium generibus vinearum, pumilionum sine adminiculo per se stantium, canteriatarum singulis jugis impositarum, characatarum defixis arundinibus in orbiculos gyrosque flexarum, stratarum denique vitium, quaque ratione singulæ conserendæ et colendæ sint. Sequitur arbustorum cura, id est, arborum quæ frondem pecori et vitibus adminiculum commodissime præbent, inter quas ulmus, populus, fraxinus varia ratione a plerisque præferuntur. Reliquum quod libri superest ad ceteras arbores pertinet, quæ quidem cursim et eo levius attinguntur, quod interea de olivetis et insitione satis abunde disseritur.

Quinque igitur libris agriculturam, quam in unum T. Varro redegerat, Columella persecutus est. Unde satis patet quam multa in illo desiderentur, cum materiam suam vix noster impleverit et in pluribus ipse defecerit. Tertia vero pars

operis rem pecuariam duplici volumine continet. Quadrupedum vero cum sint duo genera, « quorum alterum paramus in consortium operum, sicut bovem, mulam, equum, asinum, alterum voluptatis ac reditus et custodiæ causa, ut ovem, capellam, suem, canem », de éo genere primum dicitur, « cujus usus nostri laboris est particeps », deinde de minore pecore pecorumque magistris et mutis custodibus in insequente libro præcipitur. De singulis autem duplex quæstionis genus instituitur, de pastione scilicet pecoris atque ejusdem medicina.

Quod si vero ad agricolationem, pro ratione fructuum aut operum consortio, res pecuaria utique pertinet, accedunt etiam villaticæ pastiones, quæ « non minimum colono stipem conferunt, cum et avium stercore macerrimis vineis et omni surculo atque arvo medeantur, et eisdem familiarem focum mensamque pretiosis dapibus opulentent, postremo venditorem animalium pretio villæ reditum augeant. » Quare de his, quæ vel in villa, vel circa villam pascuntur, duplici volumine agitur; quorum primus tum terrestria, ut gallinas, columbos, pavones, tum ἀμφίβια, ut anseres, anates, querquedulas, similesque volucres, tum aquatilia animalia continet, uno verbo ὀρνιθῶνας καὶ περιστερεῶνας καὶ χηνοτροφεῖα καὶ ἰχθυοτροφεῖα complectitur, alter vero λαγοτροφεῖα, sive vivaria, ubi feræ pecudes, ut capreoli, damæ, oryges, cervi, apri, lepora nemoribus clausis custodiuntur, et μελισσῶνας, latine apiaria, de quibus copiose et ordinate dicitur, alia alio orationis tractu comprehendit.

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo,
Atque ea, quæ quondam spatiis exclusus iniquis,
Cum caneret lætas segetes et munera Bacchi,
Et te, magna Pales, necnon cœlestia mella,
Virgilius nobis post se memoranda reliquit. (*De Re rustica*, X, *v.* 1-6.)

Versibus igitur, mutata oratione, cultus hortorum Columella tradit, nec parum laborat ut tam diffusæ materiæ incomprehensibilem parvitatem in ordinem certum redigat. Per species enim singula componere, cum rei difficultate, tum carminis conditione vetabatur. Ideoque ab instituta ratione discedens, siderumque ordinem secutus, suo quæque tempore, prout aut conserenda aut legenda sunt, florum et olerum genera perlustrat, mutabilemque hortorum faciem exprimere conatur.

Hæc cum eruditis concessisset, rusticis quoque consulendum esse existimavit, prosaque oratione, quæ numeris luserat, ea esse repetenda. Reversus igitur, unde digressus erat, hortorumque cultus velut particulam totius operis annumerans, olitoris curam subtexit villici officiis: quod undecimum rusticationis præceptum et tripartitum esse voluit. Dicit primo quibusnam disciplinis villicus instituendus sit, quæque in eo requirantur virtutes, ut non solum rusticationis, sed imperandi consequatur scientiam. Deinde ille monetur quid quoque mense faciendum sit, ut temporibus accommodentur opera ruris; postremo subjungitur villatici horti cultus, ejusque ratio claudendi, fodiendi, variisque seminibus pro anni tempore conserendi. Concludebatur volumen omnium superiorum argumentis eo consilio subjectis, ut, cum res exegisset, facile reperiri posset, quid in quoque quærendum, et qualiter quidque faciendum esset. Illa vero nunc desunt.

« Villica » inscribitur liber insequens, in quo totius rusticationis consummatio est. Domesticam diligentiam villica, ut villicus exercitationem forensem et extraneam, natura cum sortita sit, illatas fruges ceteraque alimenta, nec minus reliqua utensilia, vasa, vestes, omne denique rusticum instrumentum custodire ac præparatis idoneis locis distribuere, necnon ea, quæ domi administrantur, opera

conficere debet : quorum multiplex genus ordine temporum Columella persequitur, variasque artes et conditiones ad domesticos usus pertinentes edisserit. Jam fit quasi ἐγχειρίδιον, ubi de aceto, muria dura, oxygala, caseo, etc., mellibus et ceris, leguminibus et pomis, oleo et vinis sive conficiendis, sive conservandis aut condiendis copiose et doctissime præcipitur. His et hujusmodi disciplinis institutum absolvitur opus, paucisque et minime arrogantibus hisce verbis concluditur : « Clausulam peracti operis mei, P. Silvine, non alienum puto indicem lecturis, si modo fuerint qui dignentur ista cognoscere, nihil dubitasse me pene infinita esse, quæ potuerint huic inseri materiæ : verum ea quæ maxime videbantur necessaria, memoriæ tradenda censuisse. Nec tamen canis natura dedit cunctarum rerum prudentiam. Nam etiam quicumque sunt habiti mortalium sapientissimi, multa scisse dicuntur, non omnia. »

Liber vero *de Arboribus*, cum tribus illis (III, IV et V), de quibus diximus, argumentum præbuerit et totus in eos transierit, jam nobis omittendus videretur, nisi de eo disceptatio orta esset. « Codices.. illi, ait Schneiderus[1], ex quibus Columella primum editus fuit, librum *de Arboribus* post librum secundum insertum, tertio loco reliquosque libros deinceps numerabant, ita ut qui hodie duodecimus est, ordine decimus tertius esset. » Idem et fuit librorum ordo, quibus Servius grammaticus usus est[2], idem et in tribus decimi quinti seculi codicibus, quos in manu habuimus[3]. Quorum scilicet in primo[4] tredecim libri numerantur tertiumque

1 *Præf.*, T. II, p. 5.

2 Servius (III, 540) ex septimo laudat verba, quæ in Præfatione libri sexti reperiuntur.

3 Bibl. nat., E, 13.955, f. 131.

4 *Ibid.*, 6.830, A, De Béthune, anno 1407 exaratus.

locum liber *de Arboribus* obtinet; in secundo[1] idem liber, simul et quartus quintusque incomposito ordine sexto etiam atque etiam interponuntur; tertii codicis[2] eadem, quæ primi, compositio est. Quam quidem veram esse auctor quidam recens[3], sed sine argumentis ac temere, prædicavit. Nam, præter ea quæ jam diximus[4] de certis ab ipso Columella prolatis indicibus, et cum vel leviter attendenti perspicuum sit omnia singularis illius libri præcepta in III, IV et V libros, pleraque scilicet ad verbum, alia mutato tantum ordine esse transcripta, cetera vero pluribus verbis esse repetita ac dilatata, non satis admirari possumus eorum indiligentiam, qui in hujusmodi errorem delapsi sunt. Ceterum de *vetustissimo volumine et illis temporibus scripto, quibus alii adhuc scriptores reperiebantur, qui postea perierunt,* Petrus Victorius memorat, cujus in fronte « Juni Moderati Columellæ XII libri... erant[5]. » At indocti librarii, cum alium singularemque librum in manu haberent, similitudine materiæ inducti sunt ut, invito ipso Columella, ceteris eum interponerent, pravusque ille ordo usque ad Aldos prævaluit. « Primus Jucundus, Aldinæ Editionis auctor, errorem librariorum deprehensum correxit, librumque *de Arboribus* ex reliquorum serie rejecit ad finem, quem deinceps reliqui editores recte secuti sunt[6]. » Adde quod ille liber, non ad Silvinum, ut ceteri, sed ad Eprium Mar-

1 *Ibid.*, B, Mentellianus XV seculo videtur exaratus.

2 *Ibid.*, C, XV seculo videtur exaratus.

3 *Biog. Didot*, art. Columelle. « Son traité d'agriculture est composé de treize livres... Dans le treizième et dernier, que l'on est habitué à donner comme un appendice ou comme un traité séparé, quoiqu'il fasse partie intégrante de l'œuvre, etc. »

4 Vide cap. I, p. 26 et 27.

5 Petr. Vict., *Explic. suarum in Catonem, Varronem, Columellam castigationum*. Lugduni, 1542, p. 2 et 3.

6 Schneid., T. II, *Præf.*, p. 5.

cellum scriptus est, si huic indici fidem adhibeas, quem ex codice Lipsiensi Gesnerus notavit : « Præter XII libros singularis ejus liber ad Eprium Marcellum. De cultu vinearum et arborum. » Quæ quidem a vetere doctoque grammatico Schneiderus annotata esse putat[1]. Id vero potius fuerit ignorare, Columellam ad talem virum, *canino illo studio* bonos *adlatrandi* famosum Thraseæque delatorem, vel de agricultura libros misisse [2].

Sed hæc abunde dicta sunt ut institutum ab auctore librorum ordinem adhuc servari perspicuum sit, neque dubium occurrat quin singulos, exceptis tamen prædictis argumentis, integros acceperimus : adeo natura aut ipsius scribentis diligentia omnia inter se cohærent. Neque quisquam locus abest eorum, ad quos persæpe in decursu operis rejicimur. Quod si, non agricolarum, sed litteratorum cura, Columella ad nos venisset, adulteratos forsitan et mutilos ejus libros haberemus ; rusticis vero manibus cum ii versarentur, grammaticorum commentaria et latrocinia barbarorum feliciter effugerunt : sua eos servavit obscuritas.

Jam vero ratio operis perpendenda est. Ex prædictis satis patet Columellam non ita sibi præfidisse, ut suo tantum consilio in omnibus uteretur. P. Silvino cum libros suos mitteret, non laudatoris comprobationem, sed judicis sententiam rogare videbatur. Neque is fuit P. Silvinus qui omnia comprobaret, aut improbata, *ne amicum offenderet in nugis*, tacere mallet, sed difficilem monitorem et utilem se præstitit. Ejus consiliis Columella non semel indulsit ;

1 Sic et Schneiderus : « Librum *de Arboribus*... ad Eprium Marcellum scriptum fuisse... docui ex lemmatibus antiquis Codicum Lipsiensis et Sangermanensis ad initium istius libri. » T. II, *Præf.*, p. 1.

2 De Eprio Marcello oratore, Tac. *Dial.*, V et VIII, prætore, *Ann.*, XII, 4, peculatore et delatore, *Ann.*, XIII, 33 et XVI, 22, *Hist.* IV, 6.

aliis etiam, justa rogantibus, libenter obtemperavit [1]. Ergo ab instituta ratione subinde digreditur, moraturque aliis rescribens, alia subjiciens, alia refellens, alia confirmans, alia etiam repetens ac retractans. Inde etiam inductus est ut majorem quam proposuerat voluminum numerum expleret: quod ipse confessus: « Numerum, inquit, quem jam quasi consummaveram, voluminum excessi [2]. » Hoc primum ei destinatum fuisse videtur decem omnino libris rem rusticam continere, novemque, ut sunt, expletis, hortorum cultus ceteraque ad domesticam diligentiam pertinentia in decimum extremumque librum contrahere. Sed amicis *pertinaciter expetentibus versificationis suæ gustum, negare non sustinuit facturus mox, si collibuisset, ut olitoris curam subtexeret villici officiis* [3]. Neque hortorum cultu, ut Palladius *Insitione*, poetice concludere opus consilium fuit: quod non modo ejus verbis, sed re ipsa demonstratur, siquidem in prioribus libris permulta et magnopere ad rusticationem pertinentia consulto omiserat, « quoniam villicæ reservabantur officiis [4]. » Sed cum juberetur prosa oratione ea repetere, quæ versibus intexerat, domesticarumque rerum curam præcipere ipse decrevisset, datam occasionem priorum voluminum explendi rimas arripuit, et in duplicem librum, alterum « Villicus », alterum « Villica » inscriptum hanc materiam dilatavit. Jam vero villici officia primo *Rei rusticæ* libro aliquatenus exsecutus erat [5]; sed, ut ait, « tam docendus est futurus villicus, quam futu-

1 *De Re rust.*, II, 1 ; IV, 1 ; V, 1 ; IX, 16 ; X, *Præf.* ; XI, 1.

2 *De Re rustica*, XI, 1. — 3 *Ibid.*

4 *Ibid.* Vide etiam, *ibid.* : « Claudius Augustalis... extudit mihi cultus hortorum prosa ut oratione componerem. Nec me tamen fallebat hic eventus rei, cum prædictam materiam carminis legibus implicarem. »

5 «... Quæ (villici officia) quamvis primo *Rei rusticæ* libro videbar aliquatenus exsecutus. » XI, 1.

rus figulus aut faber », ideoque *libenter eadem loquitur* [1], et iisdem sæpe verbis. At hercle non erat instituti operis primo libro incepta ac fere peracta retractare et consummare undecimo ; neque in hoc vitium incidisset, si propositam rationem usque servasset. Sed ea luxuria magis docemur, quam offendimur ; nec, ad summam, male consuluit compositus et ordinatus ille scriptor, cum utilitati nostræ consummatæ artis laudem posthabendam judicavit. Plus enim ponderis et jucunditatis universitati operis ea negligentia adjicitur, quam ordini detrahitur, perpensisque omnibus, non quidquam in eo mutari velis.

Quadruplicem igitur rusticationis speciem novem libris Columella persecutus est, agrorum scilicet cultu I et II, arborum cura III, IV et V, pecuaria VI et VII, pastionibus villaticis VIII et IX comprehensis. Accesserunt tres libri, ut ita dicam, adventitii, quorum primo (X) hortorum cultus versibus præcipitur, duobus ceteris (XI et XII) villici et villicæ officia edisseruntur. Quæ cum natura viderentur distributa, non tamen velut distincta ac separata, sed confuse et inordinate incomposita notatione ea consignare M. Porcius Cato satis habuerat. Non enim ratione, sed usu, res rustica tum regebatur, magisque præceptorum utilitate et sententiarum pondere, quam recti ac venusti ordinis jucunditate rudes illius temporis coloni delectabantur. Nec parvæ molis erat rei per se tam diffusæ, astrologorumque mendaciis et agrestibus superstitionibus etiam obscuratæ discutere caliginem tamque inconditam et solutam materiæ speciem in certam lucidamque institutionem digerere. Neque unius is labor fuit. Post Catonem, duo Sasernæ [2],

1 « Libenter igitur eadem loquor : tam docendus est, etc... » *Ibid.*

2 De Sasernis Varr., I, 2, 16, 18, 19 ; Col., I, 1, 7 ; II, 3, 12, 17 ; IV, 11 ; Plin., XVII, 199.

Sasernas, non ante a. 605, nec post a. 650, scripsisse, alterumque

pater et filius, agricolationem diligentius erudiere; ac deinde Scrofa Tremellius[1] etiam eloquentem reddidit; novissime M. Terentius Varro eam expolivit[2]. Hic vero cum rebus rusticis in ordinem redigendis præcipuam operam impendisse videretur, id tamen non consecutus est, ut justa eas ratione et recte definita complecteretur, siquidem in unum librum agrorum cultum et arborum curam, necnon villici officia permixte coegit, tam brevi spatio maxima rusticationis parte inclusa, duobus vero ceteris voluminibus

summam totius operis confecisse, ex locis supra cit. Reitzenstein conjicit. (*De scriptorum rei rusticæ qui intercedunt inter Catonem et Columellam libris deperditis.* Berolini, 1884, p. 4.) Catonis auctoritatem et idem dicendi genus Sasernæ amplexi esse videntur, sed usu et experientia, auctore Columella (I, *Præf.*), agriculturam diligentius erudiere.

[1] De Cn. Tremellio Scrofa Varr. I, 2 : « Video huc venire Cn. Tremellium Scrofam, virum omnibus virtutibus politum, qui de agricultura Romanus peritissimus existimatur. » — Id. II, 1 : « Reliquum est de scientia pastorali, de qua quod est dicendum, Scrofa noster, cui hæc ætas defert rerum rusticarum omnium palmam, quo melius potest, dicet. » — Col. II, 1 : « Nec te ignoro (Silvine), cum et aliorum illustrium scriptorum, tum præcipue Tremellii auctoritatem revereri, qui cum plurima rusticarum rerum præcepta simul eleganter et scite memoriæ prodiderit, » etc.

Varronis et Ciceronis Cn. Tremellius Scrofa æqualis fuit : de quo Varronis et Columellæ verba Reitzenstein (op. cit. p. 13) sic interpretatur. « Unum tenendum erit, Ciceronis ætati... respondere, quæcumque de ejus aut dicendi aut ratiocinandi genere traduntur. Nam Columella, quem M. Tullii maxime imitatorem esse atque ubique rhetoricis flosculis sermonem exornare videmus, Scrofam non modo plurima rei rusticæ præcepta simul *eleganter* et scite memoriæ prodidisse dicit, sed etiam hac maxime re eum inter ceteros insignem esse prædicat, quod vel eloquentem agriculturam reddiderit... Neque minus diversas inter se in digerenda materia vetustissimos illos scriptores atque Tremellium fuisse opinor. Nam quoniam Varro Sasernæ libros propter multa illa additamenta ad agriculturam parum pertinentia Scrofæ despectui fuisse memorat, hunc id maxime egisse crediderim, ut ipse talia menda vitaret atque justum rerum ordinem sequeretur, neque id omittendum mihi videtur, quod Varro in utroque libro Tremellium rerum dispositionem pronuntiantem facit. »

[2] Col. I, 1.

pastioni reservatis [1]. Rectius quidem Virgilius Maro in quatuor libros disciplinam ruris digessit, sed poetica libertate permulta omisit, quæ versibus includi minus posse videbantur. Plinius vero, cum majus quoddam quam ut de rusticatione dissereret, *Naturali Historia* persequeretur, non docentis, sed accepta quæque referentis viam affectavit. Itaque priorum studiis sic utitur, ut elaboratam ab iis institutionem, sua magis licentia quam operis lege, rursus distrahat ac disjiciat. Interea narratiunculis, sententiis, declamationibus excurrit, religionibus, prodigiis, astrologorum somniis rusticationem iterum implicat ac quasi de industria tam clarissimis rebus tenebras obducit. Columella autem, minore studio inflatus et rectior judicii, id tantum consectatus est, ut disciplinam ruris a prioribus acceptam pro virili parte augeret ac dilucidaret, idque assecutus est, ut non modo explenda, verum etiam finienda et componenda sua materia ceteros omnes, qui de re rustica latine scripserunt, sine controversia superaret.

Attamen cum « non solum communi fructu, sed gratissimis epulis » præceptum suum explicasset, in reprehensionem incidit, quod agrestibus ingeniis minus indulsisse videretur, « disertis potius quam imperitis accommodus [2]. » Illud enim vulgo de eo queruntur: tanquam plus studii ad dicendum, quam ad docendum adhibuerit. Atqui duplex via est agriculturæ præcipiendæ: ut enim quisque aut rationi, aut usui magis consulit, rerum alius, alius temporum sequitur ordinem. Si quotidianam irrationabilemque agricolarum consuetudinem unice respexeris, diurnos commentarios, vel *fastos* operum, ut Palladius, recte compones; si

1 « . . . De ea re conor tribus libris exponere, uno de agricultura, altero de re pecuaria, tertio de villaticis pastionibus. » Varr., *De Re rustica*, lib. I, 1.

2 Cassiod., *De Divin. lect.*, cap.28.

vero omnibus et quocumque tempore rusticationi studentibus, tum hujus doctrinæ universitatem, tum singulas ejus partes per species distributas et suo quasque loco dispositas proponere malueris, ut nec doctos studii deformitate, nec indoctos operis iniquitate amoveas, sed utrosque ratione, utilitate et jucunditate detineas, T. Varronis et in primis Columellæ imitaberis præceptionem. Hoc unum studuisse Palladius videtur ut minutatim ac pro tempore percontantibus rusticis occurreret; Columella autem operam dedit ut indoctos erudiret eruditosque delectaret. Aditur ad Palladium, per intervalla, tanquam ad responsorem; uno tenore Columella evolvitur ac legitur. Nec minus commode se præstat consultoribus, cum res ita per partes disposuerit, ut minimi studii nec ullius sit acuminis suo quæque loco reperire. Attamen, veritus ipse, ac jure quidem, ne homines duri ingenii id etiam pigeret, commentario undecimi libri eos admonuit quid quoque mense ac singulis fere diebus faciendum esset. Quin etiam argumentis pigritiæ omnes causas vel ineptissimis præcidit. Temporum etiam ordinem libenter ipse sequitur, quotiescumque ratio operis permittit, adhibitoque hoc temperamento, ne Palladio quidem opportunitate cedit. Hic enim extra quotidianum usum consuli non vult; nec, si quid continuum de singulis ab eo quæras, facile reperias: adeo sunt omnia dispersa et dissipata, ut nec pes, nec caput sermonum appareat. De Catone et Plinio silebimus, cum hic litteratis, ille sibi tantum consuluisse scribendo videatur.

Præterea, qui de rebus rusticis præcipere inceperunt, hoc in primis spectare debent, ut rationali institutiome agricolæ erudiantur. Consuetudo operum agrestium quotidiana exercitatione magis quam libris bona, mala, ab illis paratur; id tantum providendum est ne mala, in pronis crassisque ingeniis, inveterascat, melioris ignorantia; ideoque

ab humo erigendi sunt agricolationis discipuli et ad universam hujus artis speciem attollendi, ut rationi magis quam usui rursus parere discant. Hoc etiam cavendum est, in rudibus instituendis hominibus, ne eorum contemptum subeas, a quibus volueris intelligi, sordidumque opus id esse existiment quod humili sermone præcipiendum tu judicaveris. Fastidiunt enim rustici atque etiam oderunt nimium scriptoris obsequium, meliusque iis consulitur vel elatiore quam submissiore ac sordido elocutionis genere[1]. Haud igitur inepte Columella studuit honesta ac liberali dicendi specie disciplinam ruris illustrare, invidiamque Palladius contraxit, non solum ingrati animi, sed falsæ existimationis, illos exagitando qui diserte rusticis locuti sunt. « Pars est prima prudentiæ, inquit, ipsam, cui præcepturus sis, æstimare personam. Neque enim formator agricolæ debet artibus et eloquentia rhetores æmulari, quod a plerisque factum est : qui, dum diserte loquuntur rusticis, hoc assequuntur, ut eorum doctrina nec a peritissimis possit intelligi[2]. » Quid ergo est? itane rhetores æmulati sunt rerum rusticarum latini magistri, ut nec a peritissimis possint intelligi? Plinius quidem adhibuit interdum latebram obscuritatis ; at, neque in Catone, neque in Terentio, neque in Columella quidquam reperitur, quod vel mediocris solertiæ captum excedat ; maximeque in Columella, si decimi libri numeros excipias, vix pauca animadverti possunt, quæ ad intellectum vulgi minus descendant, atque ea sunt, quæ magis ad vindicandam quam ad præcipiendam agricolationem pertinent. An vero eum vituperemus quod, quæ

1 Hæc cum de genere toto profitemur, non obliti sumus Columellam ad latifundiorum possessores scripsisse ; sed, cum temporis sui utilitati inserviret, non minus ad rusticorum posteritatisque communem fructum ille spectavit.

2 Pallad., *De R. r.*, lib. I, 1.

erant elatius dicenda, ea oratione æquaverit, aut transiri ea voluerimus quæ maxime dicere debuit? At latifundiorum dominis nonne præcipue consulendum fuit, quos penes erat magna pars agri italici?

Ceterum, ad popularem intelligentiam castigator ille priorum rerum dispositione, potiusquam elocutione præceptum suum accommodavit. Scilicet optime meruisse sibi videbatur de rusticis, recisis Columellæ præfationibus[1]. At anxietate styli (quod in tali re minime convenit) nonnunquam laborat; nec bene apparet quo lumine orationis perspicuitatem illius superaverit. Compositior quidem Columella est, sed in rerum, non facundiæ ostentationem; nec quidquam habet quæsitum, nil ambitiosum, nil a vulgari sensu remotum; sed, vel in concinnioribus, sumptum de medio atque in promptu positum dicendi modum. Sunt quædam magis conclusa et orantium, quam docentium similiora, sed nulla redundantia, vel supra modum exsultantia, nulla paribus reddita aut contrariis opposita, nil sententiosum, vel turgidum vel sollicitum, nullius denique generis fucum in eo reprehenderis. Neque decurrit ad locorum varietates ut nuditati præceptionis speciem aliquam obtendat. Ne scenicum quidem Varronis apparatum in instituenda disputatione imitatus est. Hic enim, quasi suæ materiæ diffisus sit, Xenophontemque secutus et Ciceronem, nihil esse aptius ad jucunditatem lectoris existimavit, quam personas inducere colloquentes et suas quamque partes in exponenda et præcipienda agricolatione defendentes. Imo fabulam ac velut tragicomœdiam excogitavit de comitialibus certaminibus sumptam, quasi forensem tumultum paci ruris opponere voluerit. Hæc sunt quidem subtiliter inventa et concinne

1 « Sed nos recidamus præfationis moram, ne quos reprehendimus imitemur. » *Ibid.*

distributa, neque legentibus injucunda; at poterat præcipi sine istis, quæ nec parvam docenti moram attulerunt. His accedunt morum insectationes, antiquorum laudationes, originum disquisitiones, privatarum rerum commentationes, quas si recideris, breve jam spatium rei rusticæ superest.

Tanta licentia, in longo opere quanquam magis toleranda, intempestivæ facundiæ reus ille non usus est; sed cum et ipse M. Tullium docendi magistrum sequeretur, *Oratorem* potissimum sibi judicavit imitandum, eamque disserendi speciem sibi proposuit. Quin etiam in instituenda præceptione hujus operis initium fere ad verbum refert.

Columella.	*Cicero.*
«... Non me præterit, si, quem desideramus agricolam, quemque describimus, exegero a participibus agrestium operum, tardatum iri studia discentium, qui tam variæ, tamque vastæ scientiæ desperatione conterriti, nolent experiri, quod se consequi posse diffident. Verumtamen quod in oratore jam M. Tullius rectissime dixit, par est eos qui generi humano res utilissimas conquirere.... concupiverint, cuncta tentare.	« In quo vereor, ne, si id, quod vis, effecero eumque oratorem, quem quæris, expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati experiri id nolent, quod se assequi posse diffidant. Sed par est omnes omnia experiri qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt.
Nec si vel illa præstantis ingenii vis, vel inclytarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi: sed quod sapienter speravimus, perseveranter consectari. Summum enim culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur.	Quod si quem aut natura sua aut illa præstantis ingenii vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.
Nam Latiæ Musæ non solos adytis suis Accium et Virgilium recepere, sed eorum et proximis et procul a secundis sacras concessere sedes. Nec Brutum aut Cœlium Pollionemve cum Messala	Nam in poetis non Homero soli locus est,... aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit scribendo amplitudo Pla-

et Calvo deterruere ab eloquentiæ studio fulmina illa Ciceronis. Nam neque ipse Cicero territus cesserat tonantibus Demostheni Platonique : nec parens eloquentiæ, deus ille Mæonius, vastissimis fluminibus facundiæ suæ posteritatis studia restinxerat. Ac ne minoris quidem fama opifices per tot jam secula videmus laborem suum destituisse, qui Protogenem Apellemque cum Parrhasio mirati sunt. Nec pulchritudine Jovis Olympii Minervæque Phidiacæ sequentis ætatis attonito piguit experiri Bryaxim, Lysippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere, aut quousque progredi possent? Sed in omni genere scientiæ et summis admiratio veneratioque et inferioribus merita laus contigit. Accedit huc quod ille, quem nos perfectum esse volumus agricolam, etc...»

tonis, nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit.

Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut Ialysi,... non potuerunt aut Coæ Veneris imitari pulchritudinem. Nec simulacro Jovis Olympii aut Doryphori statua deterriti reliqui minus experti sunt, quid efficere aut quo progredi possent : quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cujusque genere laus ut, cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus. »

Sed hæc abunde iis concessa fortasse videbuntur, qui oratorum æmulationem in Columella reprehenderunt. Tum vero quis credat hujus modi dicendi genere in plurimis usum esse? Orditur sæpe præfatiunculis ad præcipienda festinantibus, aut omnem præcidens moram, in medias res lectorem rapit abrupteque, didascalicorum potiusquam oratorum more, ac verbis hujusmodi ad dicenda transit : « Hactenus de positione vinearum... Hæc de vineis... Hactenus de arboribus præcepisse abunde est... Hactenus de oleo dixisse abunde est ; nunc ad minora redeamus [1]. » Elegantius quidem ac facetius Varro maximeque Plinius transire solent. Interea rebus explicandis omnem rursus curam ille impendit. In disponendo vero oratorum ratione

[1] *De Re rustica*, III, 21; IV, 12; XII, 45.

plerumque utitur. Proponit simpliciter et dividit, singulasque per ordinem quæstionis partes, alias alio tractu, pro momento, persequitur. Inde aliquis tenor ac rotundum quiddam, rerum nexu, non verborum circuitu, efficitur. Inde etiam motus aliquis et ad similitudinem Ciceronis, maximeque Buffonis nostri interdum fluens oratio, sed ita recisa et coercita ut, tum hujus amplitudine et elatione, tum illius numerosa et luxuriante eloquentia multum abhorreat. Imo vero adstrictum dicendi genus plerumque affectans, multa paucis absolvere utique laborat, quantaque rerum copia, tanta et verborum parcimonia pollere studet. Quod uno potuit exponi, id nunquam pluribus verbis, nunquam assumpta vel translata elocutione circumscribit. Sed cum rem simplicem apte et proprie, quam ornate, dicere malit, non refugit vivas imagines, quæ sordidis ac quotidianis speciem aliquam addant, et in ipsa sua brevitate « ubique... copiosus est, ait Gesnerus, et, ut rura, quæ coluit, læta quædam ubertate nitens et splendidus. Quam felicem verborum copiam habuerit, existimare licet, si synonyma quædam illius proferamus. Quam diversimode de caseo loquitur! Lac cogitur, conducitur, concrescit, congelatur; glaciatus est caseus; plantas translatas aut insitas coalescere dicit, convalescere, comprehendere, tenere, respondere. Plantæ eædem apud eum ponuntur, differuntur, panguntur, disponuntur, deprimuntur, feruntur, transferuntur, deponuntur, depanguntur. » In multis etiam locis, ac maxime in *Surculari,* poeticam Virgilii facultatem atque elegantiam æmulari videtur. « Agit arbor coliculum, folia, gemmas; citat virgam vitis; creat palmes materiam; dat materias, edit frondem prima germinatione ulmus; effunditur vitis in materiam frondemque; egerminant vites; ejicit ex se vitem sarmentum...; emicat in jugum palmes; emicat celeriter nux posita; emittunt oculi pampinos;

enascuntur rami; evenit serius arundo; evomit solum herbas; exit herba; exigit palmes uvas; facit caulem cicuta; fruticat e trunco vitis; fundit vitis pampinum; gemmant palmæ; germinat vitis ex singulis gemmis compluribus materiis cum fructu; incitatur vitis mittere radiculas; procedit sarmentum, germen de cicatrice, e tenero nepos; prodeunt semina; procreatur palmes; profundit vitis ex insito germen, profundit se supra modum numerus palmitum, progemmant palmæ; progerminant, promunt se; prosiliunt vites; promunt ulmi sameram; prorepunt undique pampini; prorumpunt novelli caules; provenit palmes ex duro; pullulascit, pullulat vitis; repullescit vitis novis frondibus. Sunt quadraginta prope formulæ, cultæ omnes, nitidæ, rem unam eamdemque mira quadam venustate signantes », ait Gesnerus, quem transcribere, quam æmulari malumus. Hoc tantum nobis subjicere liceat lumina illa verborum vividumque dicendi genus nequaquam a consuetudine rusticorum recedere.

Accenditur utique magnitudine artis quam animo complectitur, injustisque suorum in rusticationem fastidiis. Indignatione invehitur nonnunquam, sed neque vehementer et acerbe, sicut Varro, neque effusis habenis, ut Plinius. Plus enim fidei, quam impetus, habet, libentiusque in laudanda assurgit rusticorum studia, quam in insectandam urbanorum mollitiem et desidiam. His instinctus sensibus, per omnes agricolationis partes lectorem deducit, modo sedatior, modo concitatior, contingitque in omnibus, ut multos utilitate, plerosque aliquantula delectatione moveat ac detineat.

Ceterum non una dicendi specie utitur, in orando satis fusus et circumlatus, in præcipiendo modo sobrius et pressus, modo etiam concisus et imperativus esse solet, singulari tamen ac privata, sive eligendorum sive disponendorum

verborum ratione suî magis quam cujuscumque similis est. Nam, ut in effusioribus a Cicerone satis differt, sic in brevitate quam maxime discrepat ab omnibus suæ ætatis scriptoribus, ut nemini ex oratione tantum conjicienti occurrere possit, eum iisdem temporibus, quibus Seneca, nec multis ante Plinium et Tacitum latinitatis eam speciem edidisse. Neque absurde ab iis, quibus certiora indicia defuerunt, inter æquales Tiberii Cæsaris, aut Caii, annumeratus est. Scilicet antiquitatis et ruris amator ille a putido dicendi genere, tum priorum æmulatione, tum re ipsa, cui studebat, deterritus fuit. Quid enim magis indecorum fuerit, quam rusticationem quasi calamistris inurere, quid et magis stultum, postquam Varro puræ et illustris elegantiæ in iisdem rebus speciem ediderat ? Cujus tamen a clara et venusta facilitate, temporum conditione, aliquantulum Columella recedit ; sed traditam ab eo sermonis formam integram servavit, paucisque ditare satis habuit. Pronuntiatio tantum in nonnullis, et quidem leviter, corrupta est, fœnisiciis, verbi gratia, pro fœniseciis, dictis. Imo vero, a Catone ad Columellam, perpauca verba ad agricolationem pertinentia mutata sunt : neque mirum, si reputes quantum apud rusticos usitata semel durare soleant. Ceterorum communiumque verborum satis multa, aut latius patentia, aut aliam in partem traducta, aut etiam, sed rarissime, depravata, a priore sensu recesserunt. Interea sermonem patrium locutionibus ditavit, sententiarumque conformationibus, novos inauditosque sensus protulit, multaque intima de rusticis suæ ætatis aut rebus, aut personis posteris tradidit.

Ad leviora jam devenimus. Quid felicius hortorum cultu ? quid et, prima specie, versibus accommodatius ? Hanc tamen agricolationis partem posteris memorandam Virgilius reliquit; neque inconsulto : nam paululum consideranti tenuem illam materiam vix constare posse ex illo tanquam pulvere

videbitur carmen. Itaque « pigre sine dubio, propter difficultatem operis », hunc laborem Columella aggressus est. Res enim ardua erat, non solum delectare, sed præcipere in tam minutis dissolutisque, tum etiam cavere, ne insolentia et quasi fera nomina in versibus resultarent. Et quidem, cum in docendo diligentem, in componendo concinnum et subtilem se præstaret, fabularum quoque græcarum jucunditate præceptionis suæ jejunitatem amplificare et illustrare instituit. In quo Virgilium secutus est, sperans scilicet, si minus agricolis, id litteratis saltem esse placiturum. Sed, si Georgica prædictis virtutibus versuumque structura et elegantia revocat [1], non eodem animo, quo divinus vates, instinctus esse videtur : non illud molle ac flebile spirat, non illas retegit altitudines, nec pari dulcedine legentis pectus occupat. Ut vivis ac spirantibus exanimes illæ formæ, de quibus in Georgicis dicitur, ita similis est Columella Virgilio.

Non vidit scilicet quid pulchrum ac jucundum ac vere poeticum materiæ suæ inesset. Propositi sui velut corrigiis compeditus, non excurrit varietatibus, flosculis quidem satis nitens, sed vetulis et quasi manu factis. Vivas inde imagines et quasi tabulas pictas cum ducere posset, satis habuit perlustrare florales areolas et recognoscere oluscula. Qua cura ea colenda sint, pulchre ab eo docemur; horti vero figura colentisque quis sit animus, frustra requiritur. Dominus tam longe abest ! Modo *dapes inemptas*, si forte

1 « Imitatio Columellæ autem libera honestaque est... Immo Columella nunquam totum versum (excepto uno tantum loco) ad verbum ex Vergilii carminibus depromit, rarissime etiam parva tantum mutatione; raro omnino compluria verba ex Vergilianis operibus servato ordine, quem ibi obtinent, transcribit. Multis autem locis — præcipue in digressionibus quas multas fecit in carmine suo Columella — liber solutusque est ab omni Vergilii imitatione. » Schrœter, *De Columella Vergilii imitatore*, Iena, 1882, p. 5

rus rediit, modo flores habeat, qui recreent oculos, in hujusmodi studiis non moratur ejus animus. Uno verbo, villici, non sapientis, hortum quadringentis illis et triginta sex hexametris Columella descripsit. Neque alium se fuisse Virgilium putat modestus ille vir; imo submissius de suis carminibus ipse loquitur: « Quidquid est istud, inquit, quod elucubravimus, adeo proprium sibi laudem non vindicat, ut boni consulat, si non sit dedecori prius editis a me scriptorum monimentis[1]. »

[1] *De Re rustica*, X, *Præf.*

CAPUT III.

QUID DE VITA RUSTICA COLUMELLA SENSERIT.

Non eadem miramur,

aiebat Horatius villico;

eo disconvenit inter

Meque et te: nam, quæ deserta et inhospita tesca

Credis, amœna vocat mecum qui sentit, et odit

Quæ tu pulchra vocas [1].

Ab urbe qui, missis in diem negotiis, divertit in agros, ut a quotidianis animum relaxet molestiis nil festivius rure is esse putat. Jam otia, quies, vitalior aer, umbraculorum refrigeratio, fonticulorum amœnitas, jam hominum salubre genus, et candidum, parvoque beatum, jam venatio, piscatus, aut « molles sub arbore somni » Saturnii illius regni veræ videntur esse imagines. Quibus captus, suasque prorsus respiciens miserias, « O fortunatos, ait, viventes in agris », Virgiliumque Horatiumque recitat. Rusticus vero, qui res ex veritate æstimat, vix toleranda ea putat, magisque esse irridentium, quam invidentium verba. Quin igitur quæ velit, faciat amator ille ruris, mutatisque partibus, rusticus ipse fiat. Jam illa locorum facies, qua nulla res potuit esse pulchrior, conversis studiis, eadem fit tristis inhospitaque tesca; jam flexus itinerum per colles scandentium, jam umbrosas tramitum salebras capellis aut poetis ille dicit.

1 *Epist*, XV, v. 18.

non plaustris esse factas. Laudatis illis fontium scatebris vitreisque rivulis utilius nunc fluit lutulentus amnis. Jam silvestribus ignem admovet moliturque bipennem in avium domos frigidaque ramorum tegmina, ut omnia circum vasta fiant et aprica. Juvat rusticos in primis æquata agri planities, putre solum, sulcorumque indeflexa regio. Cyani rhœadisque colores, quibus flava distinguitur messis, non minus oderunt quam rubi sævitiam aut cardui. Quod si venit aliqua laborum requies, non se in solitudinem abjiciunt, ut carmina poetarum secum volutent, sed vicinam petunt,

vinum præbere tabernam

Quæ possit [1].

Non quod humilia demissaque omnia rustici sentiant; sed locorum amœnitate minus moventur quam duritate operum. Quin etiam rus et ipsi amant, unde sibi omnes pariuntur opes, sed delicias otiosorum laborum segetem esse sibi jure existimant. Placide tu sub arbore jaces, messisque vindemiæque festivitatem jactitas. Interea sudat rusticus, matura oppressus stipula mediique solis sub ignibus anhelat, aut toto die curvatur in uvas, aut gravis gemit, contusus humeros, vimineæ sub pondere decemmodiæ. I nunc et illi *Georgicorum* aliquid recita! quære quid sentiat de his:

Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit;

aut de illis:

At secura quies, et nescia fallere vita
Dives opum variarum, at latis otia fundis...
Non absunt:

aut te male quæsiisse audies, aut ab eo disces nihil unquam volentia rura, nisi inutiles herbas, sponte tulisse sua, nec quidquam esse fallacius, nil magis anxium operosumque

1 Horat., *ibid.*, v. 24.

quam agricolarum vita est. Non eadem, quæ tu, in *Georgicis* ille probat, pleraque etiam aut aliter sentit, aut minime intelligit; nec inepte quidem: alioqui operandi tempus in meditando contereret, incultaque rura manerent.

O rus, *aiebat Horatius,* quando ego te adspiciam ? [quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ? [1]

Non aliter Virgilius cecinerat:

O qui me gelidis convallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra [2].

Operibus quibusdam exerceri rusticos non quidem ignorat; sed ea in voluptatem esse fingit. Ad umbratilem scilicet falsamque villicationem eos secedere jubet, quicumque ab Urbis miseriis requiescere velint. Non illa segnitie extricantur indomitæ solitudines, aut implentur dolia, aut gravidæ surgunt in arvis segetes. Atqui, nihil nisi per se compertum aut diligenter lectum de rebus rusticis tradidit [3], sed Græcis fabulis imbutus [4] poeticisque imaginibus captus, quæ mente complectebatur, non quæ sub oculis erant, ea ad delicias eorum composuit, qui, relictis agris ut gloriam aut opes in Urbe quærerent, nunc, expletis votis, ad rura mente redeunt,

Jam jam futuri rustici.

Vere agrestis animi Censorius ille fuit, nec profecto qui

1 Horat., *Sat.*, VI. — 2 Virgil., *Georg.*, II.

3 Possum multa tibi veterum præcepta referre. *Georg.*, I, 176. Ea enim, ut Varro, docet, *et quæ ipse animadvertit, et quæ legit, et quæ a peritis audiit.* (Vide Rougier, *Hist. de l'agriculture ancienne des Romains,* p. 12 et sqq.)

4 Græcis enim sensibus Romanam agriculturam plerumque cecinit.

poetice aut oratorie quidquam de agricultura sentiret[1]. Agricolarum operam ceteris Cato anteponit, quia ex iis « et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quæstus stabilissimusque consequitur, minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt. » « Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quærendæ » existimat, verum « periculosum et calamitosum » habet hujusmodi studium ; item fœnerari quæstuosius, sed pejus esse censet, quam furari[2]. Salva autem honestate, cum rem augere præsertim studeat, eas agricolationis partes in primis ponit, quæ maximos quæstus minimosque sumptus afferunt, sextumque locum campo frumentario assignat. Minuit, quantum potest, impensam, instrumentum et operas, parcus in servos, in vicinos, in deos. Vetat ne villicus « semen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum » det cuiquam. Jubet contra dominum vicinis bonum esse. Nam, ut ait, « si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces. Si ædificabis, operis, jumentis, materia adjuvabunt[3] ». De servis satis nota sunt ejus verba : « Vendat... plaustrum vetus, ferramenta vetera, servum senem, servum morbosum, et, si quod aliud supersit, vendat. Patremfamilias, addit, vendacem, non emacem, esse oportet[4] ». Alioqui justus et probus fuisse videtur, nisi quod rusticis quæstibus operibusque ad humanos sensus prorsus obduruerat. Scilicet, cum suam utilitatem in omni agricolatione unice respiceret, illius studii magnitudinem veramque notionem

1 « Jamais écrit n'eut aussi peu de prétention au mérite littéraire ; on y découvre à chaque ligne l'homme positif qui consigne dans son journal du soir les résultats de son expérience de la journée. » Kurth, *Caton l'ancien*, page 165.

2 *De Re rustica, Præf.*

3 *De Re rustica*, IV. — 4 *Ibid.*, II.

non animo complexus est, sed de eo sensit, ut rusticulus [1].

Latifundiorum possessor, villarum opulentarum lautissimique aviarii, Varro « pecuarias » habuerat « grandes, in Apulia oviarias, et in Reatino equarias. » Nunc *annus octogesimus admonet eum, ut sarcinas colligat, antequam proficiscatur e vita.* Jam opes suas procul videtur tanquam despicere. Nil jam sordidum, aut humile cogitat. Nam, « si est homo bulla, eo magis senex. » Heredioli dominus semper timet ne sumptus fructum devoret, idque sibi primum esse putat, si impensam circumciderit. Liberalius Varro, imo effuse in delectationem divitiis suis utitur. Sub Casino aves in peristylo, non fructus, sed animi causa, conclusit [2], gloriaturque vicisse non modo archetypon inventoris ὀρνιθοτροφείων, M. Lænii Strabonis, sed etiam in Tusculano magnum ædificiium Luculli. Interea luxuriam eorum exagitat, qui citrum et aurum, minium et armenium, emblema et lithostrotum profundunt in villis, quo succedant equæ et asini, aut in loculatis velut magnis arculis pisces habent per species disclusos, « quos proinde ut sacri sint..., nemo cocus in jus vocare audet » ; Hortensiumque irridet, qui, « cum piscinas haberet magna pecunia ædificatas ad Baulos », semper in cœnam pisces Puteolos mittere emptum solebat, minusque laborabat, « ne servus æger, quam aquam frigidam biberent sui pisces [3]. » Censet hujusmodi pastiones magis ad oculos pertinere quam ad vesicam, et potius marsupium domini exinanire, quam implere. At, dum pristinorum agricolarum

[1] Non omnem disputationis materiam de Catone hic attingere voluimus, sed quæ de agricultura senserit dixisse ad nostrum propositum satis est. De ceteris lege Kurth, *op cit.*; Dureau de la Malle, *Economie pol. des Romains*, t. II, p. 52-69 ; Michon, *Des céréales en Italie sous les Romains*, p. 179-188 ; Dickson, *De l'agriculture des anciens,* chap. II, p. 49, etc.

[2] De ornithone Varronis, vide de Segner, apud Schneid., t. I, 1 P., p. 593.

[3] *De Re rustica,* III, 17.

mores extollit, ipse in deterius labitur temporique cedit [1]. Mittit agros et vineas, ut incerti quæstus, datque primatum bonis pratis, quæ quinto loco Cato posuerat, et postquam ipse professus erat pastiones non pertinere ad agriculturam. Sed in hoc ipso vere rusticos sensus ostendit, quod fructuosiora, quam quæ maxime laudentur studia, suamque, quam communem utilitatem magis respicit [2]. Documento est, quantum tempore mores defluxerint; pristinorum tamen Romanorum animos satis retinuit, ut longe absit ab humanitate illa Virgilii; quem etiam velut præmonuisse videtur, ne ficta veris remisceret, Græcasque et urbanas fabulas in romanam rusticationem introduceret. « Et quoniam dei facientes adjuvant, prius invocabo eos; nec, ut Homerus et Ennius, Musas, sed XII deos consentis; neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares, et feminæ totidem, sed illos XII deos, qui maxime agricolarum duces sunt [3]. »

Ipse vero in pluribus proprio non parum indulsit ingenio. Ac primum professus « ex radicibus trinis » ea esse, quæ doceret, plurima tamen videtur ex libris hausisse, plusque temporis bibliothecæ quam agris colendis dedisse. Nam, præter id quod multæ lectionis utique vir fuit, incepit de agricultura scribere, postquam in otia jam recesserat, eaque ætate qua jucundius bibliothecæ quam agri explorantur. Priorum etiam libros ea mente evolvit, ut minus moveatur

1 « Tempérons, par le souvenir de sa volière de Casinum, les éloquentes invectives contre les excès de son temps. » G. Boissier, *Etude sur la vie et les ouvrages de Varron,* p. 366.

2 « L'agriculture en effet, est une industrie, et, si l'on veut y réussir, il faut la traiter comme telle, c'est-à-dire comme une affaire sérieuse dont le profit est le but, et l'intérêt privé le véhicule. » Mathieu de Dombasle, *Ann. de Roville,* 8e livrais., 1832.

3 *De Re rust.*, I, 1.

præceptorum utilitate, quam indigesta præceptionis ordinatione offendatur. Parum verecunde de Catone memorat, ridiculos plane Sasernas esse putat. Carthaginiensem Magonem, qui res dispersas comprehenderat XXVIII libris, multo pluris æstimat, sed « hosce ipsos utiliter ad VI libros » redegisse Bithynium Diophanem censet. Brevius etiam eadem ipse conatur tribus libris exponere [1]. Ergo studet recidere quæ non arbitratur pertinere ad agricolationem ; cetera per species et suo quæque loco diligenter componit, universa in partes, et partis in particulas minutissime concidit. Pecuaria, inquit, « partes habet novem discretas, ter ternas... Harum unæquæque in se generales partes habet novenas... Ita fiunt omnes partes minimum octoginta et una, et quidem necessariæ, non parvæ [2] ». Quæ quidem optime ad voluptatem grammatici quadrant, sed non in magno usu sunt agrestium. Eos contra multa docere recusat, quæ ad villici aut villicæ officia pertinent, ratus, credo, se magis eorum commodis inserviturum originibus et etymologiis explicandis. Et revera de talibus sæpe et interdum mirifice disserit. Uno verbo Palæmonibus suæ ætatis opulentisque agriculturæ discipulis inprimis placere voluit [3].

1 *De Re rustica*, I, 1.

2 *ib.*, II, 1.

3 Quod bene perspexit Michon, op. cit., p, 198, sed immodica et oratoria, ut ita dicam, severitate notavit : « Chez Varron l'agriculture est devenue une science, un objet d'érudition, et je dirai presque une antiquité. Il lui a fallu apprendre dans les livres ce que ses pères savaient par la pratique. Il voit dans l'agriculture non plus un élément de la prospérité romaine, mais un refuge pour les bonnes mœurs, une protestation contre le luxe, et peut-être aussi une bouderie contre le nouveau gouvernement de Rome. Aussi son livre, sous forme de dialogue est un exercice littéraire, et quelquefois une amère critique, lorsqu'il se fait à dessein interrompre par un assassinat en plein forum. Dans ce livre on trouve plutôt un savant, un écrivain, qu'un agriculteur. » Rectius quidem Dureau de la Malle, *op. cit.*, II, p. 69-219, et G. Boissier, *op. cit.*, de eo judicavere.

Per se vero satis commendantur agricolarum studia, satisque est, si vel tenuissimæ eorum curæ ingenuitate sermonis honestæ fiant. Ille in talibus judicium aufert, qui, dum usui præcipue consulit, rusticanam æruginem ac feritatem humanitate sensuum et orationis amœnitate temperat. Columella a puero in agricolatione versatus, nobilibusque et privatis exemplis in ea confirmatus, litterarum etiam studio adjutus est, ut magnitudinem hujus artis jucunditatemque conciperet ; simul et usu a poetarum somniis ad veritatem ruris revocabatur. Cum Catone censet agriculturam opus esse quod maximam publice privatimque utilitatem afferat, Varronique assentitur de dignitate et pulchritudine hujus scientiæ. Ceteris hominum studiis, mercatura, militia, forensi opera aut publica, agrestium curam, non solum honestiorem esse ducit, sed feliciorem et *sine dubitatione proximam et quasi consanguineam sapientiæ*. Itaque ex animo excandescit in æqualium desidiam incusantiumque tellurem sterilitatis, postquam « rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifici, noxæ » dederunt [1], hortaturque eos, quorum mollities aratrum refugit, ut suarum saltem rerum administrationem recipiant, præsentiaque ea adjuvent, quæ majorum optimus quisque et optime tractaverat.

Sinit eos profundere in villis, silvas feris sæpire, maritima etiam flumina in piscinas immittere, ipsiusque Neptuni partes gerere. Scit enim eo tempore, quo laudabatur severitas Catonis, ad mare decurrisse vivaria, eosque mores sic obcalluisse « non ut hæc usitata, verum ut maxime laudabilia et honesta judicarentur [2] »; nec vult videri tot jam seculorum serus castigator. Quæ, cum vel voluptaria, vel quæstuosa alienæ lubidini permittat, ipse nec vivaria,

[1] I, *Præf.* — [2] VIII, 16.

nec tabulas pictas, nec aviaria « animi causa », nec quidquam impenso paratum pretio in prædiis ostentat; at, si non capit sexaginta millia ex turdis pascendis, ut Varronis matertera [1], viviradices pretiis vendit haud exiguis, quæstuoseque generosa colligit vina; at prope rustica et fructuaria ædificia urbanam domum esse jubet, non sumptuosam, sed commodam. « Pro portione etiam facultatum, ait, quam optime paterfamilias debet habitare, ut et libentius rus veniat, et degat in eo jucundius; utique vero, si etiam matrona comitabitur, cujus ut sexus ita animus est delicatior : quamobrem amœnitate aliqua demerenda erit, quo patientius moretur cum viro. Eleganter igitur ædificet agricola : nec sit tamen ædificator, atque areæ pedem tantum complectatur, quod ait Cato, quantum ne villa fundum quærat, neve fundus villam [2]. » Hunc modum in omnibus servare solet, rusticanam parcimoniam et falsam austeritatem æque refugiens. Quid est enim pretium operæ, nisi ad vitæ commoditatem pertineat ?

Ille idem, cum rus proficiscitur, neque febrem fugitat, ut Seneca, neque fœnerationis requiem, sicut Alfius, quærit, neque stomacho aut oculis consulit, ut Virgilius Horatiusque, nec molles versus aucupat, quos jamjam reportet in Urbem. Corpore et animo recte valens, non ad otium, sed ad negotium redit, non flebile quidquam meditans, sed lætus et alacer, ut operosum virum decet, cuique sua abunde placeant. Juvat eum ordinata domus, nitida supellex, instrumentum rite dispositum, familia diligens et instructa, commode jugatæ vites et per species descriptæ, « primum, quod in omni ratione vitæ, non solum agricolationis, sed cujusque disciplinæ, prudentem delectant impensius ea, quæ pro-

1 Varr., *De R. r.*, III, 2.
2 *De Re rustica*, I, 4.

priis generibus distinguuntur, quam quæ passim velut abjecta et quodam acervo confusa sunt. Deinde, quod vel alienissimus rusticæ vitæ, si in agrum tempestive consitum veniat, summa cum voluptate naturæ benignitatem miretur, cum istinc Bituricæ fructibus opimæ, hinc pares iis helvolæ respondeant; illinc arcelacæ, rursus illinc spioniæ basilicæve conveniant, quibus alma tellus annua vice velut æterno quodam puerperio læta mortalibus distenta musto demittit ubera. Inter quæ, patre favente Libero, fœtis palmitibus vel generis albi, vel flaventis ac rutili, vel purpureo nitore micantis, undique versicoloribus pomis gravidus collucet autumnus. Sed hæc, addit, quamvis plurimum delectent, utilitas tamen vincit voluptatem [1] .» Nihil enim pulchrum, nisi utile, rusticus judicat. Is curat scilicet etymologias aut fabulas lamentabiles! Poetis igitur et grammaticis, quanquam et ipse doctus, tractanda ista Columella relinquit : « Hæc enim, ait, et his similia magis scrutantium rerum naturæ latebras, quam rusticorum est inquirere. Studiosis quoque litterarum gratiora sunt ista in otio legentibus, quam negotiosis agricolis : quoniam neque in opere, neque in re familiari, quidquam juvant [2] .» *Floribus* Virgilii maxime et ipse delectatur, sed alia poeticæ licentiæ, alia fidei concedit, nudamque veritatem per se placere posse vere studiosis agriculturæ censet. Non igitur rusticationis austeritatem quasi calamistris inurere otiosis et delicatis instituit; sed labantibus colonorum animis subvenire properat, villicorumque ignorantiam præceptis adjuvare. Quod si docta et erudita suffragia interdum captat, latifundiorum dominis, quorum negligentia malum omne pepererat, nonne in primis succurrere debuit? Sed etiamtum agriculturam vindicat, non ornat : eadem mente, qua vineas, præcep-

[1] *De Re rustica,* III, 21. — [2] *Ibid.,* IX, 2.

tionem suam excolit, ut species ipsa ad utilitatem spectet.

In regenda etiam familia modum adhibens, liberalitate justam severitatem temperare conatur. Duritiam illam Catonis Varro ipse, quanquam in ceteris humanior, non omnino exuit, qui in tres partes instrumenti genus, vocale, et semivocale, et mutum dividit : « vocale, in quo sunt servi ; semivocale, in quo sunt boves; mutum, in quo sunt plaustra [1] »; quasi voce tantum illa inter se differant ! Præcipit quidem ut justo imperio mancipia regantur, vetatque ne *verberibus coerceantur potius quam verbis, si modo idem effici possit;* sed non dolet eorum conditionem, eatenus liberalis ut studiosiores ad opus fiant benevolique in dominum. Non illi in mentem succurrit aliquid servis deberi commodorum, quæ ipsi pepererint.

Humanius, non mollius Columella de ea re sensit, ratus ad malum conditione prona esse servitia, indulgentiamque domini gravibus plerumque mulctari damnis. Itaque militari quodammodo imperio in servos utitur; neque id barbarum esse putat, si pejores eorum in ergastula conjiciantur, explorandumque in primis esse dicit, an diligenter vincti sint, an ipsæ sedes custodiæ satis tutæ munitæque sint; sed vetat ne villicus alliget quempiam, domino nesciente, curiosiusque inquirit pro tali genere servorum, « ne aut in vestiariis, aut in ceteris præbitis injuriose tractentur, quanto et pluribus subjecti, ut villicis, ut operum magistris, ut ergastulariis, magis obnoxii perpetiendis injuriis, et rursus sævitia atque avaritia læsi magis timendi sint. Itaque, addit, diligens dominus, cum et ab ipsis, tum et ab solutis, quibus est major fides, quærat an ex sua constitutione justa percipiant [2] ». Sed quoniam ratione magis quam sævitia vel

1 *De Re rustica,* I, 17. Ceterum instrumentum ille vocat quidquid ad opus rusticum præparandum sit, ac quasi dotes rusticationis.

2 *De Re rustica,* I, 8.

pessimi continentur, non existimat aliis artibus mancipia, aliis homines liberos gubernandos esse, eoque utitur regimine, quo et obedientes, et imperantes ad meliora excitentur. « Illa jam, quæ etiam in majoribus imperiis difficulter custodiuntur, considerare debebit (villicus), ne aut crudelius, aut remissius agat cum subjectis; semperque foveat bonos et sedulos, parcat etiam minus probis, et ita temperet, ut magis ejus vereantur severitatem, quam ut sævitiam detestentur. Poteritque id custodire, si maluerit cavere ne peccet operarius, quam cum peccaverit, sero punire. Nulla est autem vel nequissimi hominis amplior custodia, quam quotidiana operis exactio [1] ». Impendit etiam ut servi minus se putent despici, melioremque de se opinionem concipiant. « Hæc fere præcepta servanda sunt, ait, quæ me custodisse non pœnitet, ut rusticos (servos), qui modo non incommode se gessissent, sæpius quam urbanos familiariusque alloquerer; et cum hac comitate domini levari perpetuum laborem eorum intelligerem, nonnumquam etiam jocarer, et plus ipsis jocari permitterem. Jam illud sæpe facio, ut quasi cum peritioribus de aliquibus operibus novis deliberem, et per hoc cognoscam cujusque ingenium quale, quamque sit prudens. Tum etiam libentius eos id opus aggredi video, de quo secum deliberatum, et consilium ipsorum susceptum putant [2] ».

Præmiis et honoribus eos prosequitur, qui strenue et industrie se gesserunt; sauciati in opere, aut ægrotantes operam dat, ut quam commodissime in valetudinario ministrentur. Si quis servus curam villici intra tectum tergiversans fefellerit, pigritiaque delituerit, jubet eum, vel simulantem languorem, sine cunctatione in valetudinarium deduci : «Præstat enim opere fatigatum sub custodia requies-

1 *De Re rustica*, XI, 1. — 2 *Ibid.*, I, 8.

cere unum aut alterum diem, quam pressum nimio labore veram noxam concipere [1] ». Liberalior etiam esse solet in feminas, quæ partu sese commendaverunt : «Feminis, inquit, quarum in sobole certus numerus honorari debet, otium nonnumquam et libertatem dedimus, cum plures natos educassent. Nam cui tres erant filii, vacatio ; cui plures, libertas quoque contingebat. Hæc et justitia et cura patrisfamilias multum confert augendo patrimonio [2] ». Hoc enim primum est ad utilitatem domini, si servos benevolos et meliores reddiderit. Nam «nihil ejusdem agilitatis homo frugi non melius, quam nequam, facit [3] ».

Idem temperamentum adhibet in operarios liberos, dominoque præscribit, ut « comiter agat cum colonis facilemque se præbeat ; avarius opus exigat, quam pensiones : quoniam et minus id offendit, et tamen in universum magis prodest. Nam ubi sedulo colitur ager, plerumque compendium, nunquam (nisi ei cœli major vis aut prædonis incessit) detrimentum affert, eoque remissionem colonus petere non audet. Sed nec dominus in unaquaque re, cum colonum obligaverit, tenax esse juris sui debet, sicut in diebus pecuniarum, ut lignis et ceteris parvis accessionibus exigendis, quarum cura majorem molestiam quam impensam rusticis affert. Nec sane est vindicandum nobis quidquid licet. Nam summum jus antiqui summam putabant crucem [4] ».

Villicum vero ita moratum effingit, ut vix pauci domini exemplar illud assequi possint. Ab homine servo non tantum exigit ut « operis agrestis sit artifex, sed et animi, quantum servile patitur ingenium, virtutibus instructus », probitate scilicet, industria, diligentia, frugalitate, assiduitate, et in primis imperitandi prudentia. Vix talem virtutum varieta-

[1] *De Re rustica*, XII, 3. — [2] *Ibid.*, I, 8. — [3] *Ibid.*, I, 9.
[4] *De Re rustica*, I, 7.

tem ac quasi concentum inter liberos reperire est. Et revera extra servitutem ponebatur villicus, tum absentia domini, tum imperio fere absoluto, non solum in conservos, sed etiam in liberos operarios sibi concesso. Multæ cautionis res erat ad conditionem servilem tantam auctoritatem accommodare, ut nec in contemptionem subjectorum veniret, nec rursus per licentiam insolesceret. Vetat Columella, ne villicus « conservo ministro quoquam, nisi in re domini utatur » ; ne in primis « convictum cum domestico, multoque minus cum extero habeat » ; ne rursus « cibum, nisi in conspectu familiæ capiat, neve alium quam qui ceteris præbetur » ; « ne quid se putet scire quod nesciat, quæratque semper addiscere, quod ignorat [1] ». Eos præesse oportet ceteris, auctore Varrone, « qui litteris et aliqua sint humanitate imbuti [2] » ; a quo dissentit Columella dicens etiam illitteratum, dummodo tenacissimæ sit memoriæ, rem satis commode administrare, Corneliique Celsi sententiæ accedit, ejusmodi villicum « sæpius nummos domino, quam librum afferre, quia nescius litterarum vel ipse minus possit rationes confingere, vel per alium, propter conscientiam fraudis, timeat [3] ».

Sed qualicumque villico contubernalis mulier assignanda est, quæ contineat eum intra fundum, et in quibusdam rebus adjuvet. Elaborare illa debet « ut quam minimam operam villicus intra tectum impendat, cui et primo mane cum familia prodeundum est, et crepusculo peractis operibus fatigato redeundum [4] ». Ita vero munia, quæ domi capessuntur, deleganda ei sunt, ut identidem oculis viri custodiantur. His dispositis, villicæ tuenda sunt officia matronæ, ut villico domini. Dum labor domesticus matronalis fuit, mulierque nobilissima, diligentiæ æmulatione,

1 I, 8 ; XI, 1. — 2 Varr., *De R. r.*, I, 17. — 3 I, 8. — 4 XII, 1.

studuit negotia viri foris occupati cura sua majora atque meliora reddere, « nec villici quidem aut villicæ magna erat opera, cum ipsi domini quotidie negotia sua reviserent atque administrarent[1] ». Sed, ubi desiere, non solum colere, sed habitare rura, mulieresque sic luxu et inertia diffluxere, ut ne lanificii quidem curam, suscipere dignarentur, sed domi confectæ vestes fastidio essent, sordidissimumque negotium ducerent paucorum dierum in villa moram, « necessaria irrepsit villicæ cura. » Quæ, cum antiquius in matronalem vicem successisset, primus tamen Columella demonstravit quantum muliebri industria res rustica proficeret. In quo Xenophontem in *Œconomico* secutus est, mulierisque Ischomachi ad effigiem mores villicæ composuit. Cujus providentia, cum cetera domi curari deberent, tum etiam voluit levari familiæ servitium. Illa valetudini cujusque consulit, cibos ministrat et vestimenta, larem denique familiarem conservis reddit, plurimumque ad id confert ut benevoli sint in dominum.

Ea vero in mancipia, sive insita, liberalitas, sive ex familiaritate vel lectione Senecæ contracta, vere humani et elati ingenii virum jam denuntiat. Et revera non cuiquam æqualium in universa rerum natura complectenda, animi lumine prudentiaque Columella concessit. *Primum* esse credit *mundi genitorem*, *rerumque æternum opificem*, cujus *divina ratione* et providentia creata quæque ordinantur et gubernantur. Hunc summa veneratione et gratia prosequitur, sed tanquam longinquum et a mortalibus alte remotum. Propiores, ac velut intimos, Penates rite colit, ut omnia sibi prospera eveniant. « Servant adhuc, inquit, antiquorum consuetudinem religiosiores agricolæ, qui cum ea (rapum, raphanum et napum) serunt, precantur, ut et sibi et vicinis

[1] XII, *Præf.*

nascantur [1]. » Nemo enim nescit prudentissimos illius ætatis viros antiquas religiones non omnino excussisse, multaque ad sapientiam, quæ nos absurda judicamus, accommodasse. Inter minus religiosos annumerari Columella debet, longeque recedit a Pliniana credulitate. Attamen, ut supra diximus, « lustrationum ceterorumque sacrificiorum, quæ pro frugibus fiunt, morem priscis usurpatum », non abnuit docendi curam ; quærit etiam apud pontifices quæ

festis exercere diebus
Fas et jura sinant.

Animadvertit quidem parum inser se constare auctores de singulis observandis ; sed non dubitare videtur quin hujusmodi religiones aliquid commodi rebus rusticis afferant [2].

[1] XI, ad finem.

[2] Franciscus Buecheler callide, sed subtilius de philosophia Columellæ nobis videtur his verbis disseruisse : « Moneo etiam ingenio scriptisque rustici auctoris quamdam cerni cum P thagoreo illo Junio scilicet Moderato Gaditano Pythagoricorum auctore a græcis scriptoribus memorato) consanguinitatem. Nam etsi præterit quæ inquirere magis sit scrutantium rerum naturæ latebras quam rusticorum, aliquotiens tamen sententias aut colores a philosophia petitos immiscet, de divino numine, de æternis legibus, de spiritus sacris elementis in homine mixtis cum terrenis primordiis sentit ac loquitur magnificentius, Democriti ac Pythagoræ in universa rerum natura sagacitatem admiratur, divinum auctorem Platonem vocat..., cœlestium rerum haud ignarus ediderat libros adversus astrologos improbasque Chaldæorum pollicitationes, scripturum se promittit de lustrationibus et sacrificiis prisco more usurpatis, rem rusticam decem libris totam includere voluit ut in consummatione totius operis adnumeraretur velut proprii laboris particula decimus isque poeticus (IX fin., X *præf.*), coactus vero flagitantis amici pertinacia *numerum quem jam quasi consummaverat voluminum excessit et undecimum præceptum rusticationis memoriæ tradidit* (XI, *Præf.*), tum etiam villicam villico, duodecimum librum undecimo subjunxit eamque peracto operi clausulam imposuit. Ἡ μὲν δὴ περὶ τῶν ἀριθμῶν πραγματεία τοιαύτη τοῖς Πυθαγορείοις. » Licentius etiam idem auctor injicit de familiaritate quadam Collumellæ cum Judæis, quod ille dicit se *vidisse in apparatu pompæ circensium ludorum Judææ gentis hominem proceriorem celsissimo Germano* (Cf. Col. III, 8 et Plin., 74). Buecheler *Conjectanea*, p. 335, sq. *Rheinisches museum für Philologie*, 1882.)

CAPUT IV.

DE COLUMELLÆ AGRICOLARI SCIENTIA.

Ex trinis fontibus Columella suum præceptum ducens ea complexus est, quæ legerat, quæ a peritis audierat, quæque ipse in suis fundis colendo compererat. Quippe auctoritate et experientia disciplina ruris constat. Auctoritas, dempta antiquitatis reverentia, cum nihil aliud sit, nisi superiorum experientia, minime in rebus rusticis contemnenda. Nam, ut brevis est hominum vita, sic adeo longi temporis experimentum agricolaris scientia requirit, ut præfidere sibi in talibus argumentum sit ignorantiæ. Quapropter omnes, qui de re rustica, latine scripserunt, permulta alius ab alio sumpsere. Ex compluribus magnam partem doctrinæ suæ Varro accepit. In ipso Catone multa lectio apparet; multa et in Virgilio, ut etiam dubitari possit, utrum doctrina an poetica facultate magis valeat. Plinii quis ignorat duo millia illa voluminum triginta sex inclusa? Postremo Palladius vix aliud habuit negotii quam ut Columellam de omni rusticatione et Gargilium Martialem de arboribus in alium ordinem redigeret.

Jam vero a Græcis agricolarem disciplinam, ut ceteras artes, Romani acceperant. Nam initio, cum res rustica apud eos valeret, re tantum et privatis exemplis docebatur quisque; sed, ubi per desidiam patriam artem dedidicere, tum opus fuit externo magisterio. Ante Varronem, perpauci latine

de rebus rusticis scripserant; græce vero plus quinquaginta, inter quos Cassius Dyonisius Uticensis Carthaginiensem Magonem græca lingua verterat[1].

Quorum nomina singula operi suo Columella præscripsit, nec reticuit quantum illis ipse deberet, quantamque adhuc utilitatem plerique servarent. Patremfamilias jubet, cui cordi est ex agri cultu certam sequi rationem rei familiaris augendæ, maxime curare, ut commentarios antiquorum sedulo scrutetur, nec, si quæ priscorum aut exterorum sui temporis culturæ minus respondeant, cetera eorum existimat jam esse contemnenda. « Nam, inquit, multo plura reperiuntur apud veteres, quæ nobis probanda sint, quam quæ repudianda[2]. » De quibus, sive universis, sive singulis, maximeque de Magone, rusticationis parente[3], summa benignitate judicat, ne Sasernæ quidem derisor, quem non spernendum auctorem rei rusticæ vocat.

In primis Catonem, Varronem, Virgilium, Hyginum, Celsum, Atticum, Græcinum auctores sequitur. Nonnumquam etiam Catonem, maximeque Varronem, vel omisso nomine, ad verbum transcribit[4], eadem sane licentia cum

[1] Jam latine Mago senatusconsulto redditus erat . « ... Pœnus etiam Mago : cui quidem tantum honorem senatus noster attribuit, Carthagine capta, ut, cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in latinam linguam transferenda, cum jam M Cato præcepta condidisset : peritisque linguæ punicæ dandum negotium, in quo præcessit omnes vir clarissimæ familiæ D. Silanus. » Plin., XVIII, 5.

[2] I, 1.

[3] I, 1, 3 ; III, 12, 15 ; IV, 10 ; V, 5 ; VI, 1, 26, 37 ; IX, 14, 15 ; XII, 4, 39, 46 ; *De arbor.*, 17. Cf. Var.., *De R. r.*, I, 1 ; II, 1, 5 ; III, 2 ; Plin., XVII, 63, 80, 93, 128 ; XVIII, 22, 35, 97.

[4] At plerumque verba superiorum leviter mutata refert ac quasi locos communes pro sua parte retractat. Multa de genere hoc cum proferri possint exempla, unum satis sit. Legitur apud Varr., II, *Præf.* « Ut ruri enim, qui in villa vivant ignaviores, quam qui in agro versantur in aliquo opere faciendo : sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiores putabant (majores). Itaque annum ita diviserunt, ut nonis modo

ceteris usus, qui nunc desunt. Cornelium Celsum, qui totum corpus disciplinæ quinque libris complexus erat, Juliumque Atticum et Julium Græcinum, hujus discipulum, qui de vineis, alter singularem librum, alter duo volumina, ediderant, sæpe memorat. A Celso veterinariam medicinam didicit. Eumdem illum, Virgiliumque et Hyginum de apibus sequitur, expletam ab iis materiam in tantum repetens, ne susceptæ professionis ulla pars desideretur. Nam, eo judice, neque diligentius quidquam præcipi potuit, quam ab Hygino, nec ornatius quam Virgilio, nec elegantius quam Celso[1]. Denique a pluribus, sive Græcis, sive Punicis, sive Romanis pleraque præcepta ad domesticos usus pertinentia excerpsit[2].

diebus urbanas res usurparent, reliquis VI, ut rura colerent. » Columella vero (I, *Præf.*) : « Ut enim qui in villis intra consepta morarentur, quam qui foris terram molirentur, ignaviores habitos ; sic eos, qui sub umbra civitatis intra mœnia desides cunctarentur, quam qui rura colerent, segniores visos Nundinarum etiam conventus manifestum est propterea usurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rustica. »

1 IX, 2.

2 Nemo adhuc Columellam reprehendit quod superiorum experientia in tali re usus sit, arrogantiusque nobis videtur auctor quidam recens de eo his verbis judicasse : « Columella... qui et Catonis et Varronis exempla amplexus Vergiliumque carmine æmulatus hic illic, quas aut in deliciis ipse habet aut priorum aliquis prolixius tractaverat res, fusius enarrat, qui modo villicum, modo dominum alloquitur, veterinariorum pastorumque præcepta compilat, per tria volumina (?) confecto libro varios pannos adsuere non dubitat. Omnia enim comprehendere omniumque virtutes quasi in unum colligere studet atque manifesta illius ætatis indicia præ se fert, quæ ad senium prolapsa non suum arbitrium sed priorum vestigia sequeretur. » — « Ceterum, addit idem auctor, de Columella scio acerbius me judicasse quam omnes adhuc viros doctos, in quo cur præter sermonis elegantiam nihil jure laudari arbitrer, etiam melius ex ipso commentariolo apparebit. » Reitzenstein, *op. cit.*, p. 2. Apparet scilicet ex illo commentariolo decem fere auctores romanos de re rustica ante Columellam scripsisse, quod nemo unquam ignoravit, eorumque, qui periere, Columellam studia laudavisse perpaucaque verba hic illic retulisse.

Sed in omnibus libero judicio utitur, nec amplius æquo superiorum auctoritati concedere solet. Celso quidem de medicina nimis credidit; de vineis autem nemini magis quam sibi confidit. Tunc contra ejusdem placita, item Attici et Græcini, multa dicit. In ceteris rectus ac modestus, sive veterum, sive recentium æstimator, nec antiquitate, nec novitate, nec communi quidem omnium sensu flectitur. Judicii sui firmitatem, cum in multis locis, tum a principio operis ostendit, Silvinum comiter monens, ne veterum scriptorum, etsi plurima rusticarum rerum præcepta simul eleganter et scite memoriæ prodiderint, auctoritatem nimis revereatur, neve illiciatur « nimio favore priscorum[1]. »

Plinius contra, non pondere, sed tempore opiniones sæpius æstimat. Cui si credas, non Columellam, sed Catonem, optimum rusticationis magistrum ac quasi parentem habebis. Hinc, velut ex fonte, omnis doctrina, omnis experientia, eo judice, fluit. Recentes vero, ut in ceteris, sic in agricultura, defecisse putat. Absurdissima præcepta graviter transcribit, modo sint antiqua aut mirabilia, imo vehementer insurgit in recentium temeritatem, qui suæ experientiæ, magis quam veterum somniis confidunt. Columella autem bene vidit per gradus ac paulatim agricolarem scientiam processisse, multaque falsa tempore esse excussa, multa etiam nova probandaque esse edita. Itaque, nec nihil eos fecisse censet, qui disciplinam ruris pro facultate auxerant, nec nihil posteris faciendum reliquisse.

Refellendis igitur veteribus falsisque opinionibus disputationem nonnumquam intendit : sæpius vero rejicienda silentio præterit, ad utiliora planeque comperta festinans, Inde laudator magis quam reprehensor esse videtur. Revera, ipso Varrone severior est, parumque credulus. Mul-

[1] *De Re rustica,* II, 1.

tos errores a disciplina ruris exclusit ; novos nullos veteribus addidit. Si nonnullas superstitiones retinuit, ne nostræ quidem ætati id mirum videbitur. Nam, si robusta materia medio stercore non jam defigitur, ne serpentes in eo lateant, rustici nostri noctuas horrei claustris crucifigunt, quaque de causa id faciant, nesciunt. Nihil enim absurdum videtur, ubi causæ rerum et exitus ignorantur, eaque erat veterum in physicis ignorantia, ut non in minimis laudibus Columellæ sit segniorem fuisse ad credendum quam nostrorum bona pars agricolarum. Id in primis mirari licet Plinium tanto prudentiæ exemplo non deterritum fuisse quin fabulis res rusticas rursus contexeret ; sed antiquitatis studio incredibilia veris ille auctor libenter antehabet. Astrologiæ cæcam subtilitatem agricolis explicare aggreditur et miscere *cœlestem divinitatem imperitiæ rusticæ*. Et ineptias graviter ingerit *grandi vitæ emolumento !* Et benigne occurrit agricolarum ignorantiæ. » Quid te rusticum quereris ? Non stat per me, quominus cœlum intelligas et cœlestia scias. » Quid vero opus est tam difficili scientia, ubi carbunculus vitari possit tribus cancris vivis crematis in arbusto, ubi ex Varrone didicimus uva picta inter vites consecrata minus nocere tempestates, ubi accepimus Archibium ad Antiochum, Syriæ regem, scripsisse : « Si fictili novo obruatur rubeta rana in media segete, non esse noxias tempestates [1]. » Iis remediis cum possimus uti, jam

« frustra signorum obitus speculamur et ortus [2] ».

Astrologiam ex agricolatione non omnino expulit Columella : nam temporum et tempestatum indicia ex siderum motibus cœlique adspectu trahi possunt. At contra hujusmodi observationem multis argumentationibus disseruerat in iis libris quos adversus astrologos composuerat, idque

[1] Plin., XVIII, 70. — [2] Virg., *Georg.*, I, v. 257.

exegerat, quod *improbissime* Chaldæi pollicebantur, « ut certis quasi terminis, ita diebus statis aeris mutationes respondeant [1]. » Itaque vetat villicum aruspices sagasque admittere, « quæ utraque genera vana superstitione rudes animos infestant [2]. »

Ergo rationem magistram rusticationis instituit; sed usui ipsa ratio parere debet, siquidem in actu, non in rerum contemplatione, disciplina ruris posita est, nec meditando aut legendo, sed exercitando et explorando agricolæ fiunt. Itaque suæ præceptionis utilitatem non auget. « Ejusmodi scriptorum monumenta, inquit, magis instruunt, quam faciunt, artificem. Usus et experientia dominantur in artibus; neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur. Nam ubi quid perperam administratum cessit improspere, vitatur quod fefellerat; illuminatque rectam viam docentis magisterium. Quare nostra præcepta non « consummare scientiam, sed adjuvare promittunt. Nec statim quisque compos agricolationis erit his perlectis rationibus [3]. »

Experientia etiam existimat, magis quam præceptis, agricolationem procedere posse. In quo vere fuisse videtur patrui discipulus, longeque a communi rusticorum timiditate et segnitia, quorum major pars utilitatem æstimat annis, novumque omne reformidat. Illos Collumella instigat ne, contenti auctoritate vel priorum, vel præsentium colonorum, sua prætermittant exempla, nec nova adeant experimenta. « Quod, ait, etsi per partes nonnumquam damnosum est, in summa tamen fit compendiosum, quia nullus ager sine profectu colitur, simul ac tentando possessor efficit, ut in id formetur, quod maxime præstari possit. Ea res etiam feracissimos agros utiliores reddit. Itaque nus-

[1] XI, 1. — [2] *Ibid.*
[3] I, 1.

quam experimentorum varietas omittenda est ; longeque etiam in pingui solo magis audendum, quoniam nec laborem, nec sumptum, frustratur effectus [1]. »

Qua fiducia inflammatus fuit, ut suorum animos erigeret, qui, desperatione fracti, vulgo querebantur, ut nunc quoque fieri solet, tellurem senio tabuisse, et quasi quodam morbo sterilitate affectam esse, cœli per multa jam tempora noxiam esse frugibus temperiem, cardines mundi loco motos esse, frustraque contendere agricolas ; imo damnosius esse bene, quam male colere [2]. Hujusmodi perniciosas opiniones communemque segnitiam fortiter increpans : « Non fatigatione, inquit, quemadmodum plurimi crediderunt, nec senio, sed nostra scilicet inertia, minus benigne nobis arva respondent. Licet enim majorem fructum percipere, si frequenti et tempestiva et modica stercoratione terra refoveatur [3] ». Primus enim pervidit hoc caput esse agricolationis terram adjuvare stercore, absumptasque soli vires hoc quasi pabulo reficere. « Levi admodum cura » de ea re prisci auctores, quamvis non omissa, præceperant, atque in hoc plurimum videntur defecisse italici agricolæ, ubi præsertim fundorum immensitate allidi cœperunt. Quid mirum, si destituta alimentis diuturnitate in maciem iverant arva ? Adde quod in arando vix cutem telluris abradere solebant [4], sive ut parcerent operibus, sive ne converteretur

[1] I, 4.

[2] Temerarium videatur unam vocem antiquorum posuisse, et fortassis incredibile penitus æstimetur : nihil minus expedire, quam agrum optime colere. L. Tarius Rufus, infima natalium humilitate, consulatum militari industria meritus, antiquæ alias parcimoniæ, circiter millies H-S. liberalitate Divi Augusti congestum, usque ad detrectationem heredis exhausit, agros in Piceno coemendo colendoque... Bene colere, necessarium est : optime damnosum. » Plin., XVIII, 7.

[3] *De Re Rust.*, II, 1.

[4] Rursus in obliquum etc. *Georg.* I, 97. — Col. III, 13. — Plin. XVIII,

vomeribus inferius solum, quod plerumque est exilius. Et quidem quo magis penitus sulcatur ager, eo majorem copiam requirit stercoris. Unde duplex impensa oritur agricolis, sed cujus neminem strenuum unquam pœnituit. Quæ cum præclare sciret, id etiam Columella vidit, minus ipsum proficere stercus, nisi altius fuerit perfossa tellus, aliud scilicet esse stercorosum solum, aliud esse fertile, profundisque fossionibus, non modo in præsens, sed, quod in primis spectandum est, in posterum provideri ; sic demum revirescere posse exinanitam in tempus terram.

Graviore etiam malo, ac minus reparabili, laborare cœperat agricolatio romana indiligentia servorum, quibus vulgo permittebatur cura eligendorum seminum : quod prudentissimus quisque dominus vix commode administrare potest. Inde degenerare nonnulla videbantur, et in primis vitium nobilissima genera. Laudata illa Cæcubi et Falerni vina, aut perierant, aut a pristina fama recesserant. Item vetustissimæ et indigenæ amineæ, copia et bonitate diu probabiles, in contemptum paulatim venerant colonorum. Has vites Columella inceperat restituere, remque ad felicem exitum brevi tempore adduxit. Et primo, quod in arvis colendis utilissimum compererat, id maxime vineis idoneum fore existimavit, depressius scilicet terram fodere, et in altitudinem dupondii et dodrantis pastinare : in quo ipse reprehendebatur a « compluribus agricolationis studiosis », qui, Celso et Attico auctoribus, et *avara magis æstimatione quam vera,* nimiam censebant illam esse altitudinem. Non alia vero ratione, ut dictum est, Sthenelus et Palemo, in vicinia Columellæ, quam felicissime usi erant. Sed vel illa

19 : « Omne arvum rectis sulcis, mox et obliquis subigi debet. « Cf. *ibid.*, 29 ; Varr., *De R. r.* I, 29. De ferramentis apud Romanos usitatis lege Dickson, *De l'agriculture des anciens*, ch. XVII, p. 348 sqq. et not ; Mommsen, *Hist. rom.*, I, p. 254 sq.

communis prudentiæ videantur; idque tantum, velut peculiare, Columella sibi vindicet vites pluribus vindemiis exploratas notavisse, malleolos ex his feracissimos elegisse, eosque vel suis vineis frequentandis adhibuisse, vel ceteris agricolis vendidisse, ratus scilicet ipsa natura comparatum esse, ut soboles matri similis fieret. Hanc viam emendandi vites ratione et experimento suo in prima commendatione posuit. « Neque est, ait, quod temporis tarditas quemquam deterreat : nam quidquid moræ est, in exploratione surculi absumitur. Ceterum cum fecunditas vitis comprobata est, celerrime insitionibus ad maximum numerum perducitur [1]. » At, non solum ex fecundissima vite, sed etiam e vitis parte feracissima semina præcipit ut eligantur. Feracissima autem semina ducit esse, non, ut veteres auctores tradiderant, extremam partem ejus, quod caput vitis appellaverant, etiamsi loci opportunitate numerus uvarum plerumque conspicitur in productissimo sarmento, « sed id sarmentum quod, media vite situm, nec importuna quidem parte deficit, ac numeroso fetu benignitatem suam ostendit. Hic surculus, addit, translatus rarius degenerat, quoniam ex deteriore statu meliorem sortitur. Sive enim pastinato deponitur, sive trunco inseritur, largioribus satiatur alimentis, quam prius, cum esset in egeno. Itaque custodiemus, ut, ex prædictis locis, quos humeros rustici vocant, semina legamus, ea tamen, quæ attulisse fructum antea animadverterimus. Nam si fætu vacua sint, quamvis laudabilem partem vitis nihil censemus ad feracitatem conferre malleolo. Quare vitiosissima est eorum agricolarum opinio, qui minimum referre credunt, quot uvas sarmentum habuerit, dum ex vite fertili legatur et non ex duro trunco enatum, quod pampinarium vocant. Hæc autem opinio, quæ orta est ex inscitia

[1] *De Re Rustica,* III, 9.

seminum eligendorum, primum parum fecundas vineas, deinde etiam nimis steriles reddit. Quis enim omnino jam per tam longam seriem annorum agricola malleolum legentibus præcepit ea, quæ paulo ante retulimus? Immo quis non imprudentissimum quemque, et eum qui nihil aliud operis facere valeat, huic negotio delegat? Itaque ex hac consuetudine veniunt imprudentissimi ad rem maxime necessariam ; deinde etiam infirmissimus et inutilissimus quisque, ut dixi, qui nullum alium laborem ferre queat, huic officio applicatur... Nos autem primum rationem secuti, nunc etiam longi temporis experimentum, non aliud semen eligimus, nec frugiferum esse ducimus, nisi quod in parte genitali fructum attulerit[1] ». Quis vero nostrorum vinitorum hanc eamdem reprehensionem effugit! Quis tam scrupulosam diligentiam in eligendis seminibus adhibet, quorum prudentissimus quisque id tantum cavet, ne malleoli e duro excerpantur. Nunc mirentur vites intra quindecim annos, vel absente morbo, sine fetu effetas esse. Ille autem optime intellexit duplex fieri commodum ex ea selectione, qua non solum efficitur, ut vites in melius procedant, sed et providetur, ne in pejus recedant. De quo sic ipse tradit : « Et nos sequemur in vitibus hanc ipsam rationem, tanto quidem magis, quod compertum habemus, naturali quadam malignitate desciscere interdum quamvis diligenter probata semina : idque nobis poeta velut surdis veritatis inculcat dicendo :

Vidi lecta diu, et multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret. Sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.

Quod non tantum de seminibus leguminum, sed in tota

[1] *De Re rustica*, III, 10.

agricolationis ratione dictum esse intelligendum est : si modo longi temporis observatione comperimus, quod certe comperimus, eum malleolum, qui quatuor uvas tulerit, deputatum et in terra depositum, a fecunditate materna sic degenerare, ut interdum singulis, non nunquam etiam binis uvis minus afferat. In quantum autem censemus defecturos eos, qui binos aut fere singulos fetus in matre tulerint, cum etiam feracissimi translationem sæpe reformident? Itaque hujus rationis demonstratorem magis esse me quam inventorem libenter profiteor : ne quis existimet fraudari majores nostros laude merita. Nam id ipsum sensisse eos non dubium est, quamvis nullo alio sit scripto proditum, exceptis quos retulimus numeros Virgilii, sic tamen ut de seminibus leguminum præcipiatur [1] .» Submissius de se Columella loquitur. Nam illius rationis quis inventor recte dici potest, nisi qui primus eam dilucidavit ac demonstravit? Selectione usi sunt omnium temporum agricolæ plerique, quanta vero negligentia! et quid aliud spectantes, nisi ut parta quæque conservarent; at degeneres fructus eadem ratione restitui posse, bonosque hereditario jure meliores fieri, neque Cato, neque Varro docuerant [2] .

Longum esset ire per singula ejus præcepta : satis fuerit, si dixerimus disciplinam ruris ab eo compluribus, tum etiam novis nonnullis inauditisque auctam esse. Inter quæ illa ponenda est ratio messis faciendæ, antequam ex toto grano indurescant, « ut potius in area et in acervo, quam in agro grandescant frumenta [3] » : quod ipsi feliciter et commode factitatum vidimus. De frumentorum generibus

1 III, 10. — 2 De opportunitate hujus doctrinæ ipse testis est. « Atque hæc forsitan pluribus dicta sunt, quam exigebat ratio veritatis, minus tamen multis, quam postulabat prave detorta et inveterata opinio rusticorum. » *Ibid.*

3 II, 20. Cf. Dickson, *op. cit.*, ch. XXXIX, p. 342.

Columella observavit siliginem [1], quæ tam optabilis omnium temporum agricolis visa est, nihil aliud esse, quam vitium tritici [2]. « Nam omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem convertitur in siliginem [3]. » Quod quidem ignorant nostri rustici, alioqui non longe aut magna difficultate eam requirerent. Jam vero vinitorem ita instituit ut nihil accuratius ac diligentius, vel temporibus nostris, inveni possit, quam ab eo præceptum est de vitium positione, propagatione, amputatione, impedatione ac formatione. Novit rationem attrahendi mergos [4], insitionemque, sive propagandæ, sive emendandæ viti adhibere consuevit. Credebatur vulgo eos tantum surculos coalescere posse, qui essent cortice ac libro ac fructu consimiles iis arboribus, quibus inserti erant ; existimavit ille « errorem hujus opinionis discutiendum, tradendamque posteris rationem qua possit omne genus surculi omni generi arboris inseri [5]. » Quod efficitur mergorum insitione, modo illi non a matre resecentur, nisi interposito triennio . Sic ficus cum olea coalescere potest. Illam quidem speciem ex arbore in arborem inserendi, velut recenter animadversam, jam Varro retulerat [6]; sed, nec modum administrandi, nec vim hujus insitionis satis exploraverat, siquidem in eodem loco affirmaverat, neque pirum a quercu, neque a piro malum recipi. Item cognita erat ratio inserendi

[1] Vide Dickson, *op. cit.*, ch. XXIX ; Olivier de Serres, *Le Théâtre d'agriculture,* Liv. II, p. 135 ; Michon, *Des Céréales en Italie chez les* Romains, p. 89, etc.

[2] De tritico vide op. cit., p. 102, not. 3.

[3] *De Re rust.*, II, 9. – [4] *Le provignement par sautelle.* – [5] Ib. V, 11.

[6] « Est etiam nunc nova inserendi ratio, ne quid sciens quidem prætercam, quod usquam invenerim, Columellæ excogitata, ut affirmat ipse, qua vel diversæ insociabilesque naturæ arborum copulentur, ut fici atque oleæ..., nondum vulgata ratione, aut mihi certe satis comperta ». Plin. lib. XVII, 30. Cf. Dureau de la Malle, *Econ. pol. des Romains,* II, p. 91.

[7] *De Re rust.*, I, 40.

terebra, sed « rarior et paucis usurpata ». Quam tutiorem certioremque factam esse Columella tradit inventione sua. « Nos terebram, quam Gallicam dicimus, ad hanc insitionem commenti longe habiliorem utilioremque comperimus; nam sic excavat truncum, ne foramen inurat[1]. » O res excogitatas! dicet aliquis. Illæ vero nemini lacrymas exciere.

Sed, cum fere totus esset in vineis[2], minus intendit animum ad arbores, de quibus cursim et breviter, etiamsi diligentius quam priores, tractavit, multaque reliquit tradenda Palladio. Copiosius et doctius de pecuaria egit, impar quidem Varroni jucunditate, sed utilitate probabilior. Nam ille ποιμὴν λαῶν (illud enim nomen sibi ipse prætendit) privatam maluit quam alienam experientiam memorare, magisque incubuit ad ordinandam quam ad explendam suam materiam. Diversa fere ratione Columella quidquid sibi recte visum erat aut præceptum, aut usitatum de ea re complexus est, Celso in pluribus utens, magisque ad eas pastiones præceptum intendens, quæ magis ad opera colonum adjuvant. Pari animo ac diligentia villaticas pastiones persequitur, utilia sectans, non speciosa, studiosiorque præcipiendi quam ævi sui insaniam reprehendendi. Neque ea parva esse putat, sed satis apparet ejus animum detineri utilioribus. De apibus peculiari cura disseruit, nec inutiliter præsertim posteris, quibus, vel præsente Virgilio, ceteros, quos secutus est, minus desiderabiles reddidit.

At, si curam apium a superioribus didicit, neminem magistrum habuit de hortorum cultu, primusque hanc artem, sive carminibus, sive prosa oratione, edisseruit. Res ipsa aliquatenus nova erat, ut infra explicabitur : agebatur

[1] Col., *De Re rust.*, IV, 29. — [2] Parum recte quidem Rougier eum censet fuisse « moins œnologue qu'agronome ». *Hist. de l'agric. anc. des Rom.*, p. 292.

enim de iis hortis, qui pertinebant ad usum villæ. A Columella didicimus quæ olera, quæ medicinales herbæ, qui denique flores in illis temporibus vulgo colerentur. Neque contemnenda videtur ejus præceptio, quanquam multo longius id studium nostri provexerunt.

De ceteris, quæ intra villam administrantur, nemini eorum, qui supersunt, copia et ordine cessit. Jam varietas præceptorum et novitas; jam artes illæ a nostro usu tam diversæ, nec tamen intervallo locorum et temporum adeo inutiles factæ. Sed, præter commoditatem, unde melius docebimur de vita rustica Romanorum? Si naturam hominis cujusque certius declarant privata, quam publica facta, minus ad cognoscendos mores alicujus gentis scire contulerit, quæ præclare gesserit, quam quibus alimentis uteretur quotidie. Columella nobis recludit apothecas, vestiaria, cellas villæ; eo duce, familiæ habitationes perlustramus, supellectilem, utensilia recensemus. Sed illa legenda sunt, non referenda. Satis sit, si paululum in cella vinaria morabimur, quod etiam nostræ ætatis mores nos hortari videntur. Dî boni! jam *condiebantur* vina apud Romanos! Condiebantur non solum a perfidis cauponibus, sed ab ipsis rusticis; et quo magis medicaminum elementa illis temporibus deerant, eo major in medicando adhibebatur industria! Jam vero dicendum est, ne vetustatis minuatur reverentia, ad bonitatem sæpe, non ad copiam conditiones illas pertinuisse. Optimæ notæ vina non condiebantur, nisi ad usus medicinales, aut ad bellaria Liberi. Sed, ubi regionis vitio, aut vinearum novitate laborabat mustum, tunc condituris quibusdam adjuvari debuit, ut certe usque ad venditionem durabile fieret. Multiplex erat species medicaminum, sed omnis conditurae fundamentum erat sapa, id est mustum quarta vel tertia parte, vel etiam ad dimidium excoctum, aut melius defrutum, id est quam bellissimum mustum

ex veteribus vineis, maturissimisque uvis expressum et ad tertias decoctum. Probissime quidem miscebatur vinum hujus generis adjumentis ; sed minus innocenter addebatur modus salis, et gypsi floris et picis liquidæ. Adjiciebatur etiam pro sale, ad majorem mensuram et meliorem odorem faciendum, aqua salsa, quam longissime a littore maris hausta, in triennium reposita, deinde eliquata et post alterum triennium usque ad tertiam partem decocta. Plinius maligne tradit hujus mixturæ a servi furto originem ortam esse, sic mensuram explentis. In mediterraneo, quo non erat facilis aquæ marinæ invectio, maxime idonea videbatur cœlestis aqua, modo fuisset per quinquennium in sole posita, et postquam computruerat, eliquata, ad tertias in modum defruti excocta, denique sale candido et melle mixta. Mitto jam aromata, quibus concinnandis pharmacopolas æmulari rustici videbantur. Hæc et multa hujusmodi medicamenta in diversissimis inter se regionibus Græciæ, Italiæ, Hispaniæ, Africæ, et Galliæ vinis ministrabantur. Sed ceteras inter regiones Narbonensis provincia jam insignior erat solertia, veteris famæ haud indigna futura. « De reliquis in Narbonensi genitis (vinis), tradit Plinius, asseverare non est : quoniam officinam ejus rei fecere tingentes fumo, utinamque non et herbis, ac medicaminibus noxiis ! Quippe etiam aloen mercantur, qua saporem coloremque adulterant[1]. »

Nonnullis etiam nostrorum vinitorum artibus Columellæ patruus et ipse Columella uti solebant. Ille ex vinaceis et aqua vetere loram optimam faciebat ; hic passum optimum a Magone didicerat facere. Sed probus ille vir granis dessicatis optimum mustum, non aquam, ut madefierent, adjicie-

[1] XIV. 8. — [2] Vin de raisins secs. « Passum optimum sic fieri Mago præcipit, ut et ipse feci. » XII, 39.

bat, eo magis laudandus, quod bene noverat vel dulcius in usu fieri passum, si decocta aqua pro vino adjecta esset. Quod si veteres illæ artes nostris conferuntur, major fortasse videbitur illius temporis solertia, major præsentis improbitas. Non tamen sine injuria stomachi conditurae illæ fiebant, cavebantque in primis vinitores, ne emptoris palatum moneretur de fraude. Jam optimam censebant eam esse vini notam, quæ sine condimento valeret perennari, nec omnino quidquam bono permiscendum esse, quo naturalis ejus sapor infuscaretur. « Id enim præstantissimum est, ait Columella, quod suapte natura placere poterit. » Careant igitur rustici hujusmodi scientia, vitesque emendare, quam vina corrigere malint. Tot sunt artes in agricolatione utilius discendæ! tot quæstuum genera! tot rationes honestæ quibus res augeri possit!

Sed ars ipsa colendi nihil prodest, neque faciendi voluntas, sine sumptibus, quos exigunt opera. Dotes et impensas omnis cultura poscit. In illis quidem temporibus, quibus septem jugerum spatio finiebatur industria coloni, non magna opus fuit facultate, opibusque agricola carere potuit, modo fortes manus adessent. Sed, patescentibus agrorum finibus, impensa crevit simul. Sumptuosum instrumentum, operariorum legiones, vasta ædificia, pecunia grandis latifundiis danda fuere. Unde multi possessores laborare cœperunt, quia majorem agrum, quam ratio calculorum patiebatur, habere voluerant. Non enim satis est, ut ait Columella, « possidere velle, si colere non possis ». Quot vero et quibus vineam jugerum C instruere oporteret, apud Catonem aut Varronem legatur [1] : paucis tantum de operariis operarumque instructione, Columella auctore, memorabimus.

[1] Cat., *De Re rustica*, 11 et 12 ; Varr., *De Re rustica*, I, 18.

Plurimum quidem a veritate Virgilius recessit in illa effigie patrisfamilias avita rura colentis cum sua progenie. Quid ergo est? Nullusne villicus erat? operum magister nullus? nullæ servorum decuriæ? ergastula nulla? Longe vero alia species erat rei rusticæ in Italia: sed a villis avertens oculos, illos tantum vidit poeta pauperculos, de quibus Varro loquitur. Colonorum vero liberorum angustias a scriptoribus rei rusticæ didicimus, minimeque optabilem conditionem. Quorum omne genus in tanto contemptu jacebat, ut vix de eorum tenuitate apud eos memoratum sit. Ad villas per servos administrandas tunc omnis disciplina ruris pertinuit. Hac vero communique ratione instituebantur villæ. Omnis res rustica per villicum, e conditione servili, administrabatur, accedente procuratore rationum. Ceterorum mancipiorum, aratorum, vinitorum, pastorum, mediastinorum, cum inter se officio separata genera, tum per classes denum circiter hominum distributa, quas decurias antiqui appellaverant, quibusque singulis operum magister præerat. Actor dicebatur, sive operum magister, sive ipse villicus, ex occasione sane ac pro fundi modo. Juxta januam habitatio villici, ut intrantium exeuntiumque conspectum haberet; procuratoris supra januam, ob easdem causas, et ut villicum observaret ex vicino. Servis solutis cellæ, vinctis subterraneum ergastulum, angustis idque et editis illustratum fenestris, clausumque custodiis; ægrotantibus denique valetudinarium.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas![1]

[1] Villam romanam copiosius describere nos piget post studia Dezobry, *Rome au siècle d'Auguste*, t. III, *Lettre*, LXXXI et Fustel de Coulanges, *Revue des Deux-Mondes*, 15 septembre 1886, p. 337, sqq.

CAPUT V.

QUA RATIONE AGRICOLATIO ROMANA AB INITIO AD COLUMELLAM PROCESSERIT.

I.

Si quis agriculturæ romanæ et ipsius populi romani ab Urbe condita ad Columellam mutationem plane perspicere voluerit, hoc in primis animadvertere debebit, majorem partem agri italici, sive publici, sive privati, continua fere ac vix intermissa legibus inclinatione, in paucorum manus tempore cessisse. Quod quidem satis notum est, quaque ratione id evenerit, multi auctores obiter atque ex parte jam docuere; sed mox excussuris communes in latifundia declamationes pauca nobis altius nunc repetenda sunt.

Publicum agrum a privato semper Romani sermone et re discrevere : quorum alter *dominii*, *mancipii* jure sub nominibus *prædiorum*, *agrorum*, *fundorum* tenebatur, alter *possessione* tantum et *usu* a privatis jure detineri poterat [1]. Ager publicus ex agro victo, vel dato, bonis vacantibus, vel publicatis, vel ab intestatis, vel hereditate relictis in omni tempore constitit. Inde publicisque incrementis, ceteras regiones possessione populo romano circumveniente, pluri-

[1] Macé, *Des lois agraires chez les Romains*, p. 96-118. — Cf. Niebuhr, *Hist. rom.*, T. III, p. 179 sqq. — Savigny, *Traité de la possession* etc., p. 174 et 175 ; *ibid*, not. 1 : « Possessio ergo usus, ager proprietas loci est. » Mazeroll, *Droit privé des Romains*, p. 184 sq.

mum dilatati sunt privatorum, ac maxime patriciorum et equitum, fines. Nam agri publici, ut aliqua pars victis alia aliis conditionibus sæpe reddebatur [1], sic reliqua per quæstores vendebatur, aut civibus assignabatur [2], aut varia lege locabatur [3] vel servabatur.

Sub regibus justa satis ratione ager publicus inter cives videtur fuisse divisus. Romulus duo jugera in singulos homines descripserat [4]. Item « agros, quos bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus » Numa [5]. Quod exemplum et Tullius Hostilius et Ancus Martius secuti sunt [6], qua vero mensura, nescimus. Sed ad antiqua illa duo jugera cum sæpe iterum reditum sit [7], publici, non privati agri, eam mensuram fuisse credendum est, poeticeque magis quam recte Plinius nobis videtur dixisse : « Bina tunc jugera populo romano satis erant, nullique majorem modum

[1] « Nec tamen omnibus personis victis ablati sunt agri : nam quorumdam dignitas, aut gratia, amicitia victorem ducem movit, ut eis concederet agros suos. » Siculus Flaccus ap. Lachmann, T. II, p. 155.

[2] « Captus... ager ex hoste victori militi veteranoque est assignatus. » *Ibid.*

[3] « Quæstorii dicuntur agri quos ex hoste captos p. R. per quæstores vendidit. » *Ibid.* p 152.

Cf. Hyginus ap Gœsium, p. 205 : « Quæstorii... dicuntur agri, quos populus romanus devictis pulsisque hostibus possedit, mandavitque quæstoribus, ut eos venundarent. »

« Qui superfuerant agri vectigalibus subjecti sunt, alii per annos quinos, alii vero mancipibus ementibus, id est conducentibus in annos centenos ; plures vero, finito illo tempore, iterum venduntur locanturque ita ut vectigalibus est consuetudo. » *Ibid.*

[4] Varr. *De R. r.*, I, 10 ; Plin., H. N., XVIII, 2, etc.

[5] Cic., *de R. P.*, II, 14. — [6] Dyonis., *Ant. rom.*, III, I, p. 137, 177, 182.

[7] Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanem gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus. Merces ea sanguinis atque laboris.
Juv. Sat. XIV, *v.* 161-164.

(Romulus) attribuit. » Quis enim credat *saturasse glebulam talem patrem ipsum turbamque casæ*, neque ultra quemquam habuisse ? Septena jugera Servius Tullius divisit suæque in plebem liberalitatis morte pœnas dedit. Nam patricii agrum publicum invadere jam cœperant, necesseque fuerat eos ab injusta *possessione* dejici, ut inopiæ plebis consuleretur. « Ἐγχωρεῖν τῆς δημοσίας γῆς τοὺς καρπουμένους τε καὶ ἰδίᾳ κατέχοντας αὐτὴν ἐν ὡρισμένῳ τινὶ χρόνῳ, καὶ τοὺς οὐδένα κλῆρον ἔχοντας τῶν πολιτῶν, πρὸς ἑαυτὸν ἀπογράφεσθαι [1]. »

Post exactos reges ad Licinium Stolonem magnum notumque patres inter et plebem certamen fuit, maximeque de agris dividendis. Ad triginta de ea re rogationes tum apud Livium, tum apud Dyonisium memorantur : quarum plerasque, quanquam verum fuerit captivum agrum *habere eos quorum sanguine ac sudore partus esset*, « aspernati Patres sunt [2] ». Aventinus (454) [3], ager Veientanus (390) [4], ager Pomptinus (379) [5] inter plebeios divisi sunt. Viginti etiam coloniæ in agrum recenter victum missæ [6] : sic enim prospiciebant patres et tuendis finibus [7] et Urbi purgandæ. Sed, ut plebes *poscere Romæ agrum*

Gœsius, *Ant. agr.*, p. 47 · « Hæc duo jugera et regum tempore et multo etiam post tanquam modus legitimus fuit habitus qui tribueretur iis qui in coloniam deducebantur. »

Cf. Macé *op. cit.*, p. 121 sqq. — Aliter sentit Michon, *op. cit.*, p. 143.

Cf. etiam Mommsen, *Hist. rom.*, trad. Alexandre, t. I, p. 251, not. 1, et 129, not. 2.

1 Dyonis. IV, p. 216, A. — 2 T. L., II, 48.

3 « De Aventino publicando lata lex est. « T. L., III, 31.

4 « ... ut agri Veientani septena jugera dividerentur. » *Ibid.*, V, 30.

5 Quinque viros Pomptino agro dividendo. » *Ibid.*, VI, 21.

6 Macé, *op. cit.*, p. 480.

7 « Coloniæ inde dictæ sunt, quod populi Romani in ea municipia miserint colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coercendos, vel ad hostium incursus repellendos. » Sic. Flacc. ap. Gœsium, p. 2. Cf. Niebuhr, III, p. 65.

malebat, quam alibi accipere[1], sic principes civitatis agrum vectigalem[2], cujus magnam partem *possidebant*, retinere contendebant. Inde et ex ipsa lege conductionis sive venditionis[3] fiebant *possessiones* quasi perpetuæ. Redemptoris agri publici conditionem rectissime his verbis Laboulaye descripsit : « A l'égard des tiers, sa jouissance était protégée par le prêteur, cette voix vivante des lois. La possession du détenteur se trouvait ainsi dans le commerce, garantie qu'elle était par le magistrat. C'était comme une espèce de propriété, transmissible par vente, par donation, par succession. Le droit était bien différent ; le fond pratique des choses était le même[4]. » Inde etiam tempore patricii *possessiones* suas in *mancipia* convertere solebant, agrumque publicum, fraudata plebe, paulatim invadebant, eo magis quod pecunia, magistratus, judicia apud eos erant. De quo tam multa argumenta sunt, ut vix unum aut alterum referre hic possumus. « Οἱ πλούσιοι, ait Appianus, τῆσδε τῆς ἀνεμήτου γῆς τὴν πολλὴν καταλαβόντες, καὶ χρόνῳ θαρροῦντες, οὔ τινα σφᾶς ἔτι ἀφαιρήσεσθαι, τά τε ἀγχοῦ σφίσιν, ὅσα τε ἦν ἄλλα βραχέα πενήτων, τὰ μὲν ὠνούμενοι πειθοῖ, τὰ δὲ βίᾳ λαμβάνοντες, πεδία μακρὰ ἀντὶ χωρίων ἐγεώργουν· ὠνητοῖς ἐς αὐτὰ γεωργοῖς καὶ ποιμέσι χρώμενοι, τοῦ μὴ τοὺς ἐλευθέρους ἐς τὰς στρατείας ἀπὸ τῆς γεωργίας περισπᾶν· φερούσης

1 T. L., III, 1.

2 « Adjiciebat (Sp. Cassius) huic muneri agri aliquantum, quem publicum a privatis possideri criminabatur. Id multos quidem patrum, ipsos possessores, periculo rerum suarum, terrebat. » T. L., II, 41. Cf. p. 85, not. 3.

3 « Venditiones olim dicebantur censoriæ locationes, quod velut fructus publicorum locorum venibant. » Festus, *Venditio*. — Non ignoramus agri vectigalis Plinium Hyginumque primos mentionem fecisse, sed re, nisi nomine, alia erat conditio agri publici qui assignatus erat, alia ejus partis quæ vendebatur locabaturque. Nec possumus, nisi summatim, de his dicere. Vid. Niebuhr, III, p. 220 ; Th. Mommsen et J. Marquardt, *Manuel des Antiquités romaines*, trad. Humbert, T. I, p. 209, not. 1.

4 *Hist. du droit de propriété en Occident*, p. 75.

ἅμα καὶ τῆσδε τῆς κτήσεως αὐτοῖς πολὺ κέρδος ἐκ πολυπαιδίας θεραπόντων ἀκινδύνως αὐξομένων διὰ τῆς ἀστρατείας. Ἀπὸ δὲ τούτων οἱ μὲν δυνατοὶ πάμπαν ἐπλούτουν, καὶ τὸ τῶν θεραπόντων γένος ἀνὰ τὴν χώραν ἐπλήθυε. Τοὺς δ' Ἰταλιώτας ὀλιγότης καὶ δυσανδρία κατελάμβανε, τρυχομένους πενίᾳ τε καὶ ἐσφοραῖς καὶ στρατείαις. Εἰ δὲ καὶ σχολάσειαν ἀπὸ τούτων, ἐπ' ἀργίας διετίθεντο, τῆς γῆς ὑπὸ τῶν πλουσίων ἐχομένης, καὶ γεωργοῖς χρωμένων θεράπουσιν ἀντὶ ἐλευθέρων [1]. » Item Livius de rogatione Sextia (411) sic memorat : « Aptissimum tempus erat, vindicatis seditionibus, delinimentum animis Bolani agri divisionem objici : quo facto minuissent desiderium agrariæ legis, quæ, possesso per injuriam agro publico, patres pellebat. Tum hæc ipsa indignitas angebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos vi teneret, pertinacem nobilitatem esse, sed ne vacuum quidem agrum, nuper ex hostibus captum, plebi dividere ; mox paucis, ut cetera, futurum prædæ [2]. »

Quantum vero fines suos, anno 376, nobilitas jam prolatavisset, satis indicant Liciniæ leges [3], quorum altera, de modo agrorum, cautum erat, « ne quis plus quingenta jugera agri possideret [4]. » Scilicet de agro publico [5] hic tantum agitur, ut ipse Livius auctor est, ne cetera multaque testimonia congeramus [6]. « Auderentne postulare, aiunt Sextius Lici-

1 *De bell. civ.*, I, 7. — 2 T. L. IV, 51.

3 « Quid legem Liciniam excitavit de quingentis jugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi ? » T. L., XXXIV, 4.

4 T. L., VI, 35. — 5 « Ne quis ex *publico* agro plus quam quingenta jugera possideret. » *Epit.*, LVIII. Item App., *B. C* I, 8 : « Μηδένα ἔχειν τῆσδε τῆς γῆς πλέθρα πεντακοσίων πλείονα » non ad quodvis agrorum genus, sed ad publicum agrum pertinet. Cum quo consentiunt verba legis Semproniæ, qua nimirum instauratam Liciniam legem Gracchus voluerat. (Schweighæuser, *Comm.* III, p. 686.)

6 In sententiam doctissimi viri Dureau de la Malle discedere non possumus de Licinia lege sic disserentis : « Il ne faut point s'y tromper : ce n'est point seulement 500 jugères de terres conquises, mais 500 jugères de propriétés foncières de toutes natures, qui furent le maximum fixé par

niusque, ut, cum bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta jugera habere liceret? Ut singuli prope trecentorum civium possiderent agros; plebeio homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ, suus pateret ager [1]. » Aut de agri publici possessione ibi agitur, aut concludendum est nemini plebeio plus bina jugera omnis agri habere licuisse. Sed apertissimis verbis iidem utuntur dicentes : « Liberos agros ab injustis possessoribus, extemplo si velit (plebs), habere posse »; et « agrum injuria possessum a potentibus [2] » deinde memorantur. Rogabant etiam ut septena jugera plebi viritim deviderentur, « et lex perlata non tantum est de quingentis jugeribus, sed et cautum de septem jugeribus post populo dividendis, eoque septem jugera deinceps velut popularis et plebeia mensura vulgo fuere reputata, teste Columella lib. I... Nam quid futurum erat de agris quos potentioribus ibat ereptum, si non et inopibus eosdem illos largiretur ?... Et disertim docet Appianus eam mentem legis, scilicet Liciniæ, fuisse [3]. » Ergo pervicit Licinius, plurimaque nobilitas possessionum suarum redundantiam in manus plebeias transire passa est. Ipse sua lege, decem annos post, damnatus est, quod, substituta filii persona, mille jugera possideret. Diuque ea valuit, bona patrumque plebisque æmulatione ac concordia, quingentorum jugerum mensura, ut satis aperte declarant hæc verba Catonis hostilia vota Rhodiensium comparatione sic

la loi Licinia. » *Econ. pol. des Rom.*, II, p. 282. Contra Heyne : « lex agraria..., qua fortunæ omnium æquarentur, omnino inter Romanos extitit nulla. » Heynii *Leges agrariæ pestiferæ et execrabiles : Opusc. acad.* t. IV, p. 372. — Cf. etiam Niebuhr, *op. cit.* III, p. 178 ; Giraud, *Droit de propr.*, p. 174, 175 ; Macé, *op. cit.*, p. 211, ssq.

1 T L., VI, 36. — 2 *ibid.*, 39.

3 Gœsius, *Ant. agr.*, p. 48 et 49. Cf. Varr locum (*De R. r.* I, 2), qui vitiosa interpunctione alios in diversum impulit, et Col. I, 3.

excusantis : « Quæ tandem lex est tam acerba quæ dicat : si quis plus quingenta jugera habere *voluerit*, tanta pœna esto ; et, si quis majorem pecuum habere *voluerit*, tantum damnas esto ? Atqui nos omnes plura habere *volumus*, et id nobis impune est [1]. »

Præclarum vero tempus illud fuit agriculturæ et rei publicæ romanæ, dum lex Licinia servata est ; sed, post secundum bellum Punicum, ut mores civitatis immutati fuerint, omnes sciunt. Ex Hispania, Syria, Græcia immanes divitiæ subito Romam confluxerunt. Intra quadraginta annos (207-167 ant. Ch.) argenti pondo vicies (250,680, 238f) in ærarium relatæ sunt. Præterea ingens auri pondus et æris, tabulæ pictæ, signa, arma, omnis denique generis spolia simul reportabantur. Hæc autem cum in publicum redigerentur, majores etiam prædas privati retinuerant [2]. Quid vero leges in tanta licentiæ præsidia ? privatis opibus res publica minor fuit. Lex Licinia eversa est, frustraque Gracchi lege Sempronia [3] eam restituere contenderunt. Vix aliquam moram ruenti reipublicæ interjecerunt. Imo publicanis imperium romanum Tiberius diripiendum tradidit, translatis ad equites judiciis. Tunc impune non solum nobilitas, sed etiam equestris ordo in agrum publicum incurrere cœpit. Νόμος δὲ οὐ πολὺ ὕστερον ἐκυρώθη, τὴν γῆν, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν· ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε [4]. Præterea lege Thoria sic latum est. *Ne. quis. facito. quo. minus. ei. utantur. fruantur. habeant. possideant, quei. ager. publicus. populi. romanei. in. terra.*

1 Aul. Gell N. *att.*, VII, 3.

2 Macé, *op. cit.* p. 26, not 2.

3 Cf. apud Gœsium *Legis Liciniæ quædam capita, quæ colligi potuerunt* et *Legis semproniæ quædam.* — Cic. *De leg. agr.* II, 5 : « Tiberium et Caium Gracchum, plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. » — 4 App., *B. C.* I, 27.

italia. P. Mucio. L. Calpurnio. coss. fuit... a. vetere. possessore. possessus. sit. Qua duplice lege lex Sempronia dissoluta est.

Quem. agrum. ex. publico. in. privatum. commutavit... omneis. privatus. ita. ut. ei. qui. optima. lege. privatus. est. esto.[1].

Rulli vero rogationem nemo nescit, ut, Marco Tullio dicente, « abdicaverunt tribus[2] », quoque modo propugnator ille *bonorum* civium Catilinæ occasionem conjurandi ipse pepererit[3]. At servare, quod supererat agri publici, volebat. Tolerandum autem ei fuit, agrum Campanum, *populi romani subsidia illa belli*, a J. Cæsare τοῖς οὖσι πατράσι παίδων τριῶν dividi[4]. Sic fere omnis ager publicus in Italia exhaustus fuit.

Jam vero militibus agri sæpe dati erant ex publico. Primus Sylla privatum agrum veteranis divisit : quod Cæsar, Antonius et Octavius imitati sunt[5]. Sed assignationes illæ, ut agriculturæ magno exitio fuere, sic ad contrahendos agros, potius quam ad dividendos, pertinuere, Nam, auctore Sallustio, nonnullis ex Sullanis colonis, quindecim post annos, « lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant[6]. » Nec meliores exitus habuisse videntur coloniæ mititum a principibus missæ. « Veterani, tradit Tacitus,

[1] Macé *op. cit.*, p. 262, 263. — [2] Plin., VII, 30. — [3] Scilicet Catilinæ futuras copias retinuit in Urbe. « Ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu : Urbanam plebem nimium in republica posse ; exhauriendam esse. » *De leg. agr.*, II, 26. – « Vos vero, Quirites, si me audire vultis, retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum. » *Ibid.*, 27.

[4] App., *B. C.*, II, 10-14.

[5] Lege Heyn. *op. cit.*, p. 371.

[6] Catil., XXVIII; Cf. XVI : « plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriæ memores, civile bellum exoptabant. »

Tarentum et Antium adscripti non tamen infrequentiæ locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias in quibus stipendia expleverant : neque conjugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant. Non enim, ut olim, universæ legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cujusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rempublicam efficerent, sed ignoti, inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia[1]. »

Sed, ut publicis ager privatorum fines prolatavit, sic privatus variis causis in paucorum potentium manus paulatim cessit[2]. Nam, præter emptiones, vi, dolo, plebeios agros nobilitas ab initio invadere solita est, et præsertim usura. Opulentis enim civibus plebs romana eo magis obnoxia erat, quod bellis continuis res ejus exhauriebantur; vel in pace fabros multaque alia utenda a potentioribus vicinis poscere rusticuli solebant. Inde ære alieno oppressi multi atque ex agris suis ejecti. Nam, si semunciarum fœnus aliquando fuit (1/2 %), sæpius usuræ centesimæ fuerunt (12 %), quaternis etiam centesimis (48 %) Brutus in provincia Ciceronis pecuniam fœnerabatur. Sed tot rogationes de pecunia debita quis ignorat ? Quæ cum ita fuerint, Philippo tribuno plebis (105 ant. Ch.) affirmanti credendum est « non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent[3]. »

Nec jam « manuum mercede inopiam[4] » tolerare rusticuli potuerunt, ubi per servitia agros colere opulentis dominis commodius visum est. Res majores tantum, ut vindemiæ

1 *Ann.*, XIV, 27.
2 Niebuhr, *op. cit.*, III, p. 373 et not. 644.
3 Cic., *De off.*, II, 21 — 4 Sall., *Catil.*, XXXVII.

ac fœnisicia conducticiis liberorum operis, ætate Varronis, administrabantur, nisi forte gravia loca utilius videbatur per mercenarios colere[1]. Itaque rustica juventus Romam migrare cœperat « urbanum otium ingrato labori » præferens, ruraque servitiis magis in dies frequentabantur. « De 550 de Rome à 575, ait Dureau de la Malle, la culture était exercée presque totalement par des propriétaires et des journaliers libres. Caton le dit positivement dans deux endroits de son livre[3]. » Male profecto Catonem doctissimus ille scriptor interpretatus est. De servis enim multa Cato præcipit, imo de omni agricultura ita disserit, ut potius credas omnia fere rustica opera per servos et politores tunc fuisse administrata. Ipse vero Dureau de la Malle paulo infra[4] longis rationibus comprobat servorum metœcorumque numerum et liberorum in ea proportione quam viginti duo faciunt ad viginti septem collata anno 529 ab U. C. fuisse. Anno quidem 278 ab U. C. servorum numerum cum liberorum numero collatus rationem habuerat quam unus ad viginti quinque[5]. Sed centum annos post, jam frequentia servitia in agris erant, siquidem Licinius Stolo, ut certus ingenuorum numerus in agris colendis adhiberetur, rogavit[6]: cujus exemplum J. Cæsar postea secuturus erat tertiam partem ingenuorum in pascuis esse jubens[7]. Attamen, si Dureau de la Malle credimus, semper major in Italia fuit liberorum quam servorum multitudo. Sel vel illa proportio 22 : 27 infrequentiam liberorum operariorum satis per se denuntiat Columellæque de ea re querimonias plane confirmat.

Adde quod omnes liberi, intra eamdem Italiæ regionem,

1 Varr., *De R. r.*, I, 17.
2 Sall., *Catil.*, XXXVII. — 3 *Op. cit.*, I, p. 249. — 4 *Ibid.*, p. 255-297. — 5 *Ibid.*, p. 271. — 6 App., *B. C.*, I, 8. — 7 Suet., *J. Cæs.*, 42.

fere dimidio pauciores a primo bello Punico ad Julium Cæsarem facti erant [1]. Quorum bona pars, maximeque romanorum civium, ab agris in Urbem migrare jamdiu cœperant. Huc enim alliciebantur judiciis [2], suffragiis, publicis privatisque largitionibus [3], frumentationibus, quarum consuetudo, ut rem publicam perdidit, sic et in ruribus solitudinem fecit. Itaque frumentationes Augustus abolere voluit, *quod earum fiducia cultura agrorum cessaret* [4]. Etenim sub Julio Cæsare trecenta et viginti millia civium [5] (tunc omnium quadringenta et quinquaginta millia erant [6]), scilicet millies mille fere capita vitam congiariis toleraverant. Inde major civium romanorum, minor autem colonorum factus est numerus, absentiumque portione præsentibus obveniente, in majus latifundia excesserunt.

Jam, ætate Catonis, cum mediæ facultatis possessores majorem partem publici quidem agri adhuc retinerent, rusticulorum turba parvi ponderis erat, magisque in dies premebantur ambitione potentioris vicini. Jam temporibus illis luxuriabantur vel plebeiæ possessiones. Ferunt eum, conspecta Curii villula, suæ puduisse opulentiæ luxuriæque. Atqui prædiolum colere videbatur plebeius ille vir, quantum tamen pristinam egrediens modestiam! Jam non septena illa jugera Cato cogitat, sed oliveta agri jugerum CCXL, aut vinearum jugera centum instruenda. Ampla quidem agrorum spatia tunc naberi cœperant, ut ad has

[1] Dureau de la Malle *op. cit.*, I, 211, 227, 288, 296 ; II, 235, 239, 241, 246, 274. Non satis quidem discrevit ille auctor numerum liberorum omnium qui in Italia erant a numero civium romanorum per totum orbem diffusorum. Sed aliis rationibus ejus sententia constat.

(2) Testes scilicet signatoresque falsi (*Catil.*, XVI) ; quos lingua perjurio alebat (*ibid.*, XIV). — [3] « Præterea juventus .. privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori prætulerat » (*ibid.*, XXXVII). — [4] Suet., *Aug.*, 42. — [5] Suet., *J. Cæs.*, 41. — [6] *Epit.*, XCVIII.

metas formulas suas dirigeret, centuriisque (CC jugeribus)[1] culturæ demeterentur.

Id vero malum sine modo, nullo fere repugnante, adjuvantibusque magis in dies moribus, a Catone ad Columellam crevit. Tunc non solum per Italiam, sed trans mare latifundiorum immensitates procurrerunt. « Sex domini semissem Africæ possidebant, tradit Plinius, cum interfecit eos Nero princeps[2]. » « Là où jadis cent familles vivaient à l'aise, un seul se trouvait à l'étroit. Pour augmenter son parc, il achetait à vil prix le champ d'un vieux soldat blessé ou d'un paysan endetté qui allaient bientôt perdre dans les tavernes de Rome le peu d'or qu'ils avaient reçu. Plus souvent, ils prenait sans rien donner[3]. Un ancien écrivain nous montre un malheureux en procès avec un homme riche, parce que celui-ci, incommodé par les abeilles du pauvre, son voisin, les avait détruites. Le pauvre protestait qu'il avait voulu fuir, établir ailleurs ses essaims, mais que, nulle part, il n'avait pu trouver un petit champ où il n'eût encore un homme riche pour voisin. Les puissants du siècle, dit Columelle, ont des propriétés dont ils ne peuvent même pas faire le tour à cheval ; et une inscription, récemment trouvée près de Viterbe, montre qu'un aqueduc long de six milles ne traversait les terres que de neuf propriétaires[4]. » Multa de genere hoc congerere haud difficile esset[5] ; sed cum hujus modi locis per decla-

[1] De centuriis vide Sic. Flacc., p. 20 ; Hyg., *De limit. const.*, p. 154, apud Gœsium. Cf. Isid., *Orig.*, 15. — [2] Plin., XVIII, 7.

[3] « Parentes aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. » Sall., *Jugurth.*, XLI.

Pellitur paternos
In sinu ferens deos.
Et uxor, et vir, sordidosque natos. (Hor., *Od.*, II, 18).

[4] Duruy, *Hist., des Rom.*, II, p. 46. — [5] Peignot, *Dissert. sur les faits les plus curieux de prodigalité, de luxe, d'agglomération de fortune,*

mationem sæpius abusum sit, utilius fortasse videbitur, si, omissis notis tritisque exemplis, alia diversaque protulerimus, veramque agri italici imaginem, pro nostra facultate, inde duxerimus.

Et primo legenti cuique *Agrimensores*, conspicuum est permultas initio sive arcifinalis, sive centuriati agri fuisse divisiones, neque omnes tempore esse deletas, sed multas tum formas, tum etiam particulas adhuc permansisse. De arcifinalibus quidem et quæstoriis perobscura disquisitio est; sed in coloniis recentioribus et in remotis regionibus certum videtur permodestas singulorum fuisse fines, perpaucaque latifundia etiam anno C post Ch. ibi constitisse. Etenim in inscriptione Ligurum Bæbianorum [1] XCXVII fundi obligati numerantur, possidentium autem LXVI nomina, quorum unus agrum plus quingentis millibus HS (recte DI millibus HS) æstimatum, eque undecim fundis compositum, quadraginta duo agrum minus ducentis millibus HS æstimatum possidebant. Unde satis patet nulla ibi tunc fuisse latifundia. Majora spatia ad unum pervenisse dominum inscriptio Veleiatium nobis denuntiat: in qua scilicet referuntur LI possidentium nomina, quorum possessiones quatuordecies fere millies HS conjunctim summatimque æstimatæ sunt, ita ut, si singulis eadem mensura contigisset, ducentorum et septuaginta circiter millium HS portio cujusque fuisset. Hic vero quatuor possessiones plus decies centenis millibus HS æstimantur, nulla vicies, complures mediocris pretii erant, multæ exigui, una etiam duo millia et centum HS tantum valebat. Sed cum apud Bæbianos fere totidem numero, quot fundi, possidentes essent, in inscriptione Veleiatium plus

chez les Romains. Mém. de l'Acad. de Dijon, 1836. — Dureau de la Malle, *op. cit.*, I, 335, 336 : II, 219-232, 277.

1 Ernest Desjardins : *De tabulis alimentariis*, p. lvj, sq., lxv, sq.

trecenti fundi, quinquaginta et unus tantum possidentes enumerantur. Sic Mommeio Persico XXXVII fundi aut portiones erant, Corneliæ Severæ XXVI, item ceteris plures, unus nemini. Omnes autem illi fundi suum quisque nomen ac velut personale adhuc retinebant. Quorum alii conjunctim æstimati continui fuisse videntur, alii autem sigillatim æstimati sæpe in diversis pagis siti erant, nec inter se continui. Sic Mommei Persici possessiones ad sex pagos pertinebant, Corneliæ Severæ ad quatuordecim. Unde satis patet agros ita situ diversos haud sine difficultate *continuari* potuisse, ut in latifundia constituenda coalescerent. Facilius ad unum concurrebant saltus, quales erant ibidem colonorum Lucensium, atque ex hujusmodi saltibus plurima latifundia orta esse credendum est.

Igitur apud Veleiates satis divisa agri species erat. Non tamen inde concludendum est omnis agri italici eamdem speciem fuisse[1]. Imo contra, cum in Cisalpina multo minor jam esset possidentium quam fundorum numerus, admodum verisimile est multo majora agrorum spatia in mediis Italiæ regionibus sæpe ad unum cessisse, neque nobis in animo fuit tot auctorum testimonia magis infirmare, quam ad justam interpretationem redigere. Multa fuisse in Italia latifundia, certum videtur ; sed multi quoque tunc fuere agri mediocris spatii, quales erant Columellæ, multæ etiam rusticulorum possessiunculæ. Intra ipsa latifundia prædiola colonis locabantur : quod a Columella satis didicimus. Hoc igitur tantum ex notis declamationibus retinendum est, tunc multas possessiones justum modum excessisse, multosque non uno avitoque fundo contentos fuisse, sed complures occupare solitos esse.

[1] Lege Fustel de Coulanges, *Revue des Deux Mondes*, 15 septembre 1886, p. 320-330.

II.

Jam vero quid inde consecutum sit, explicandum est. In præclaris illis temporibus, quibus lege Licinia possessorum licentia continebatur, cum exiguum agellum Fabricius sine servis ipse colebat, quinquagintaque soli jugera a populo ob eximiam virtutem post immensum terrarum adjectum imperio sibi delata Curius Dentatus repudiabat, ratus perniciosum esse civem « cui septem jugera non essent satis », cum tanta mensura Regulus et Fabius Maximus in Pupiniano insalubrique agro contenti erant, ut res publica, sic agricultura romana valde prospera fuit.

Duplex enim commodum ex hac modestia contingebat, primum, quod nulla agri particula sine colono manebat, deinde, ut vetus erat dictum Punicæ gentis, rectius colebatur ager imbecillior quam agricola. Minus enim serere et melius arare utilius videbatur, « censoriaque castigatio erat minus arare quam verrere[1]. » Jam vero ædificiorum, vestimenti, mensarum nulla ambitione vexabatur illorum temporum parcimonia. « Quies somnusque in stramentis erat[2]; »

Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,
Et fenum capiti supposuisse suo[3].

Tum etiam

..... grandes fumabant pultibus ollæ[4];

frequentiorque pultis usus, quam panis longo tempore fuit[5]. Nec villicos, nec procuratores, nec operum magistros, nec mancipiorum agmina tam angustæ possessiones requirebant. Ipse dominus raram familiam ad opera ducebat,

[1] Plin., XVIII, 3. — [2] *Ib.* — [3] Ov. *Fest.*, lib. I.
[4] Juvenalis *Sat.*, XIV. — [5] Val. Max., lib. II, cap. 5.

intraque naturæ fines viventibus, haud injussa, sed abunde respondebant arva. Adde quod « ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri, ut fas est credere, gaudente terra vomere laureato et triumphali aratore [1]. »

Ergo iis moribus haud anxius rusticorum victus erat. Neque Urbs cœperat Italiæ provinciarumque exhaurire fruges. Ad vicina oppidula supervacua deferebant agricolæ, rarumque ibi emptorem captabant satiabilemque. Vilitas etiam omnium rerum hortabatur quemque, ut partis labore suo mallet uti, quam urbanam segnitiam pascere minimo. Circa Cincinnatum, assibus in modios frumentum venibat. Eadem ceterorum fructuum vilitas erat, diuque fuit. Luxuriante jam re publica, cum L. Metellus in triumpho duceret elephantos, assibus singulis farris modii erant, item vini congii, ficique siccæ pondo XXX, olei pondo X, carnis XII [2]. Poetis non omnino credendum est, qui priscam rustici victus memoravere tenuitatem, illustriumque virorum laudavere leguminosas dapes suetaque oluscula. Auxerunt scilicet veterum frugalitatem, ut suorum luxuriam diversitate insigniorem facerent, rusticulorumque suæ ætatis egestatem antiquis illis temporibus affixerunt. Non oleribus tantum Curius suam virtutem aluit : alia agrestibus, majorisque cibi, ministrabat illius ætatis abundantia. Re vera, parvi fecisse videntur olera et hortensia quæque veteres agricolæ, quippe qui melioribus uti possent ; magisque Columellæ asserenti credimus largiorem tunc fuisse pauperibus usum epularum, « lactis copia ferinaque ac domesti-

[1] Plin., XVIII, 4. — [2] Plin., XVIII, 3. — Plinius tamen non animadvertit pondus assis aliud in illo, aliud in suo tempore fuisse. (Vide Dur. de la Malle *op. cit.*, I, p. 77, sq.) Præterea de publicis largitionibus, non de media annona ille memorare videtur. Sed in vilitate annonam fuisse in illis temporibus non negandum est, eaque fortasse præcipua causa fuit, cur frumenti cultura in contemptum brevi venerit.

carum pecudum carne, velut aqua frumentoque summis atque humillimis victum tolerantibus[1]. » Tum etiam mos increbuerat rusticis habitationibus subjicere vivaria, ut, cum res exegisset, velut e cella promeretur. « Magni enim, ait idem auctor, æstimabat vetus illa Romuli et Numæ rustica progenies, si urbanæ vitæ comparetur villatica, nulla parte copiarum defici[2]. »

Tunc non opprobrium videbatur, virum agrestem censeri, siquidem ex agris colendis omnes copiæ erant; maximaque laus erat cuique bono, bonum agricolam bonumque colonum vocari[3]. « Jam distinctio, honosque civitatis ipsius non aliunde erat. Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent. Urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset, desidiæ probro[4]. » Leges quoque civitatis consentiebant moribus ad tuendas agricolarum utilitates, instituto nundinarum conventu, « ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ[5]. » Neque comitia nundinis haberi licebat, ne publica cura a privatis rustica plebes avocaretur[6]. Interdum etiam, absentibus in in bellum colonis, respublica ipsa villicata est. Ruri primores civitatis habitabant; ab agris arcessebantur ad senatum; ab aratro veniebant ad dictaturas. Quid mirum, si tantis honoribus culta tellus, quanquam inter hosticas incursiones, haud ingratam se prestitit?

Sed,

Postquam cœpit agros extendere victor[7],

res rustica Romanorum penitus immutata est. Nam, præter ea, quæ jam diximus, usu didicerant majores quæstus ex diripiendis urbibus, quam ex agris colendis, fieri posse.

1 Col., X, *Præf.* — 2 *Id.*, VIII, 16. — 3 Cat. *De Re rustica, Præf*
4 Plin., XVIII, 3.
5 Col., *De Re rustica, Præf.* — 6 Plin., XVIII, 3. — 7 Horat., *ad Pisones*, v. 208.

Simul, rure dominus migrarat in Urbem, tradita villa servitiis, ibique deliciis aut ambitione detineri cœperat. Jam occupato forensibus certaminibus, comitiis, honoribus, aut in provincias administrandas relegato, parum vacabat ut res rusticas curaret. Quod si e rebus publicis sese recepissent, non tamen in agros revertebantur, id « servile officium[1], » cum Sallustio nunc existimantes, quod honoratissimum apud priscos fuerat studium[2]. Vix per intervalla proximos fundos revisebant : quid, si majore spatio illi dissiderent, aut, quos ne circumire equis quidem valuissent, fines gentium possiderent! Tantis onerati, non potiti, ea proculcanda pecudibus, et vastanda feris, indignante Columella, derelinquebant, aut occupata nexu civium et ergastulis » tenebant [3].

Ergo latifundiorum possessores agros suos, aut per villicum administrabant, aut colono locabant. Per domesticos frequentius villicatum esse videtur, a Catone ad Columellam, fructuosiusque, si huic credas, modo adesset vel mediocris et salubritas et terræ bonitas, facilisque in fundum excursus patrisfamilias, nisi si maxima vel negligentia villici vel rapacitas interveniret. Sed utraque dominum sæpe doluisse maxime credibile est. Nam, præter ingenium servile, muneris ipsa functio, absentia vel inscitia domini, sperataque impunitas ad maleficium villicum hortabantur. Gravior etiam ejus imperitia frequentiorque. « Nullius momenti ducimus, ait Columella, peritissimum quemque villicum facere : vel si nescium, certe vigoris experrecti, quo celerius, quod ignorat, addiscat. Sed sive fundum locuples mercatus est, e turba pedisequorum lecticariorumque defectissimum annis et viribus in agrum relegat; cum istud opus, non solum

1 Sallust., *Catil.*, cap. IV.
2 « Nunc'e ipsi prædia nostra colere dedignamur. » Col., I, *Præf.*
3 Col., I, 3.

scientiam, sed et viridem ætatem cum robore corporis ad labores sufferendos desideret : sive mediarum facultatum dominus, ex mercenariis aliquem, jam recusantem quotidianum illud tributum, ignarum rei, cui præfuturus est, magistrum fieri jubet[1]. » Quæ inde jacturæ domino! præsertim in ea re, quæ minus imprudentiam, quam negligentiam, patitur. Majore enim damno in rusticatione emendatur culpa, quam committitur. Jam vero villici sibi non parum indulgere solebant. In venando vel aucupando tempus operandi conterebant; hospites recipiebant impendio domini, sacrificia ex suo arbitratu faciebant, aruspices sagasque admittebant, coloniæ suæ terminos egrediebantur ad ambulandum, urbem, nundinas frequentabant, pecunia domini vel sibi negotiabantur, et ubi æris numeratio exigebatur, res pro nummis ostendebant.

Et quibus hominibus præficiebantur ! ergastulis aut mercenariis, damnatis manibus aut conductis, ne dicam coactis, desperatis utrisque et domini rationibus plerumque inimicis. Servitiorum fæx in rura colenda compingebatur : grande hoc servis urbanis quotidianumque terriculum [2]. Omnes intra sæptum villæ continebantur, nonnulli pedes vincti corrigiis et in ergastula subterranea post laborem conjecti. Vineæ plurimum per alligatos excolebantur, sive quia minus in hoc officio, quam in ceteris, agricolatio frugalitatem requirebat, cum et in turba, et sub monitore vinitor opus facere deberet, sive quod plerumque velocior animus est improborum, quem desiderat hujus operis conditio. Proceriores aratro mandabantur ; ceteris mediastini. Omnes et

[1] Col., I, *Præf.*. — Cf. Horat., *Epist.*, lib. I, 14

Tu mediastinus tacita prece rura petebas.

[2] . . . . Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.
Hor., *Sat.*, lib. II, 7.

verbis et verberibus ad opera stimulabantur ab actoribus. Servis tamen invidere poterant obærarii, sive mercede, sive nexu debitæ pecuniæ conducti essent; qui nullo loco numerabantur a villico servorumque subjiciebantur imperio. Mercenariorum enim ad laborem domesticis allevandum usus erat: iis gravia loca relinquebantur colenda, et in salubribus opera majora, ut sunt in condendis fructibus vindemiæ aut messis. Denique mediastinis ipsis postponebantur. Operariorum cunctorum singulæ classes ab operum magistris, quid faciendum esset, discebant, metuque et monitoris diligentia, magis quam ex animo suo quisque mandata exsequebatur. Verumenimvero triremibus publicis aut pistrinis ministrandis ratio illa operandi conduxerit: non *instrumentis vocalibus*, sed proborum virorum cura, et studiosorum, et intelligentium res rustica proficit.

Adde sumptus omnis generis, villicum, procuratorem, operas, instrumentum, ædificia. Jam in structuram abibant sperati prædiorum fructus. Scriptores rei rusticæ loquuntur omnes de ædificiis excitandis quasi recentissimus quisque possessor vacua paraverit, idque primum emptori curandum fuerit, exstruere villam. Pessimum quidem, si vera illa retulerunt, rusticationis exordium! Et quæ struebant ædificia! Mitto fructuarias et rusticas partes villæ, utpote necessarias; mitto etiam ὀρνιθῶνα, περιστερεῶνα, ὀπωροθήκην; sed προκοιτόνες, παλαίστραι, ἀποδυτήρια, περιστύλια, sine quibus non putabant se habere villam! sed in modestioribus balnearia, hiberna et æstiva cubicula, cœnationes, ambulationes etc... quæ impensæ! et quam inutiles! Ne Varronem rursus recitare videamur, exemplo sit Laurentina Plinii villa « usibus capax, non sumptuosa tutela. [1] » Grave quidem

[1] Plin., lib. II, 17.

pondus fundo vel hujusmodi modestia, quantisque fructibus liberanda !

Quod si longinquitate domini præsentia fundus careret, pessime mulctabatur omne genus agri, tum præcipue frumentarium. Hunc « maxime vexant servi, Columella tradit, qui boves elocant, eosdemque et cetera pecora male pascunt, nec industrie terram vertunt, longeque plus imputant seminis jacti, quam quod severint ; sed nec quod terræ mandaverint sic adjuvant, ut recte proveniat ; idque cum in aream contulerunt, per trituram quotidie minuunt, vel fraude vel negligentia. Nam et ipsi diripiunt, et ab aliis furibus non custodiunt. Sed nec conditum cum fide rationibus inferunt. Ita fit, ut et actor et familia peccent, et ager sæpius infametur [1]. » Quare, talis generis prædium censet esse locandum. Item, si positum sit in his regionibus, quæ gravitate cœli solique sterilitate vastantur. Pessima igitur loca aut longinqua coloni liberi obtinebant. Et mirabantur domini nihil inde sibi redire, cum uberrima quæque regio, vel præsente domino, vix pensiones solvere posset. Ergo, nisi remissionibus liberarentur, reliquis solvendis fundo colonus innectebatur. Inde orta est peculiaris forma servitii, quæ ad nostra ferme tempora permansit.

Jam servorum studia inceperant domini fovere concessionibus, ut *peculiare aliquid in fundo pascendi*, *aut hujusmodi rerum aliis* [2]. Qua consuetudine intra ipsam familiam fiebant *quasi coloni*, precaria quidem exceptione, cum quæ data erant a domino in ejusdem potestatem nutu reverti possent, sed utrisque commoda. Itaque usu confirmatum est pro mercede quoque particulas fundi servis concedere, eaque constitutione hujus generis conductores ad conditio-

1 I, 7.
2 Varr., *De Re rust.*, I, 17.

nem colonorum liberorum, excepta libertate, fere accesserunt. Tempore etiam censui adscribi cœperunt, eorumque nomine capitationem domini pensitare. Inde adscriptitiorum frequens genus ortum est, cujus vendendi arbitrium postremo ademptum est dominis, nisi cum fundo. Adde quod, data illa facultate augendi peculii, plurima mancipia servitium exuere potuerunt, seque asserere in conditionem colonorum liberorum. Latifundia igitur liberavere servos ; verum et liberos in servitutem adegerunt [1].

Non ad nostrum propositum pertinet de multiplici *colonatus* origine aut forma disserere [2] ; quas quidem controversias acute et eleganter doctissimus auctor haud ita pridem apud nos enucleavit [3] . Hoc satis erit, si quid de colonis liberis debita pecunia terræ quasi servis factis scriptores rei rusticæ tradiderint, illud paucis interpretari. Duplex modus colendi agros a Catone memoratur, aut cum ipse dominus colit cum familia, aut per politores. De colonis qui agros mercede conduxerint nulla apud eum mentio est . « Omnes agri, ait Varro, coluntur hominibus servis aut liberis aut utrisque. Liberis, aut cum ipsi colunt, ut plerique pauperculi cum sua progenie: aut mercenariis, cum conducticiis

[1] Vide Fustel de Coulanges : *Recherches sur quelques problèmes d'histoire. Le colonat romain*, p. 54 (Paris, Hachette 1885 .
Pauffin: *Des orig. du colonat*, 1886, p. 6 — Giraud : *Hist. du droit franç* , t. I, p 160.

[2] De ἱεροδούλοις, V. Dureau de la Malle, *op. cit.* p. 144, n 3 ; De libertis colonis factis v. Fustel de Coulanges, *Rev. des Deux Mondes*, 15 décembre 1886, p 84 sqq. ; De barbaris colonis factis et de saltuum colonis v. Pauffin, *op. cit.*, p. 18, 23 sqq

[3] Fustel de Coulanges, *op. citatis*.

[4] Credimus tamen conductores agrorum pro mercede paulo certe post Catonem fuisse. Columella enim animadvertens pejorem esse urbanum colonum (de conductoribus agrorum hic loquitur), qui per familiam mavult quam per se colere, addit : « Saserna (scripsit autem inter ann. 605 et 650) dicebat ab ejusmodi homine fere pro mercede litem reddi » I, 7.

liberorum operis res majores, ut vindemias ac fœnisicia administrant : iique quos obæraríos nostri vocitarunt, ut etiamnunc sunt in Asia, atque Ægypto, et in Illyrico complures [1]. » Inde satis comperitur, ætate Varronis et ante Varronem, genus operariorum fuisse, qui nec servi, nec liberi erant, sed « utrique », nec semper voluntate sua mercenarii facti, sed debita sane pecunia ad operas præstandas sæpius obstricti. Imo vero iis verbis Varro utitur ut credere possis omnem mercenarium tunc in ære alieno fuisse; sed id propius est fidem genus totum nomen illud (obærarii) inde traxisse quod plerique pro debita pecunia manus suas locarent. Utrum vero conductum agrum colendo, an alio modo, in æs alienum operarii illi inciderint, Varro non dicit. Sed Columella de colonis qui, præter pensiones, *ceteras parvas accessiones* solvere debebant, quædam notanda tradit. « Ipse nostra memoria, inquit, veterem consularem virumque opulentissimum L. Volusium asseverantem audivi, felicissimum fundum esse, qui colonos indigenas haberet, et tanquam in paterna possessione natos jam inde a cunabulis longa familiaritate retineret. Ita certe mea fert opinio, rem malam esse frequentem locationem fundi... Propter quod operam dandam esse, ut et rusticos et eosdem assiduos colonos retineamus, cum aut nobismetipsis non licuerit, aut per domesticos colere non expedierit [2]. » Ex his verbis colligere licet non in universam tunc cecidisse consuetudinem obæratos post unum aut alterum lustrum retinendi colonos, sed commodius sæpe visum esse dominis *assiduos colonos* utique *retinere*, quam expellere. Quo vero pacto assidui illi fieri potuerant nisi aut tacita *reconductione* aut *nexu* debitæ pecuniæ ? Et revera

1 *De R. R.*, I, 17.
2 I, 7,

(quem in morem idem auctor alias invehitur) latifundiorum possessores, quæ proculcanda pecudibus aut vastanda feris derelinquere nolebant, ea jam inceperant occupare *nexu civium*. Jam vero coloni haud facile vel pessimum fundum sua sponte deserunt, sive familiaritate quadam, sive necessitate retineantur. Tum etiam desperatis non adeo mutari conditio vitæ visa est nexu reliquorum, nisi quod operis quibusdam pro certo statu conservando teneri cœperant. Nam ingenuus permanebat obæratus colonus. Suas res habere, vendere, legare poterat ; suffragii, connubii, omnia denique civium jura retinebat; nec ulla lege prohibebatur, quin integram libertatem resumeret, ubi reliqua solverat. Nonnulli tamen hujusmodi jugum pati recusabant profugiebantque. Nec impune : nam in retractos animadvertere domino licebat, imo in vincula conjicere. Id quoque « nexum » consecutum est, ut colonos, sub titulo reliquorum, cum fundo vendere liceret, nec rursus fundum sine colonis. Unde fiebat quasi perpetua conductio, qua ipsa coloni progenies hereditario jure tenebatur. Hanc colonatus formam leges, quæ deinde venerunt, confirmavere ; quæ quidem, multis prius temporibus, consuetudine valuisse videtur, donec vetustate et responsis in jura certa verteretur.

Colonatus, quo revaluit, post longum tempus, agricolatio romana, vulgari cœpit intra quinquaginta annos a Columella : spes ea novissima fuit possessorum, ubi cetera defecerant. Colonorum hujus ætatis miserias a Plinio juniore didicimus, qui de *fertili* agro, *pingui* et *aquoso* memorans : « Hæc fertilitas terræ, scribit, imbecillis cultoribus fatigatur : nam possessor prior sæpius vendidit pignora : et dum reliqua colonorum minuit ad tempus, vires in posterum exhausit, quarum defectione rursus reliqua creverunt. » Itaque venale erat prædium sestertiosque tricies æstimatum, quod aliquando quinquagies fuerat. Alias etiam hujus

vilitatis gravioresque causas referens idem auctor explicat quod « et penuria colonorum et communi temporis iniquitate, ut reditus agrorum, sic etiam pretium retro » abierat. Neque ipse vinctos habebat, nec ibi quisquam, quibus prædium illud colere posset, cum id commodissimum fore censeret. Itaque statuit instruendos esse *complures frugi mancipes* [1].

Alia quidem ratio erat agros locandi urbano colono, qui eos per familiam administraret; sed pessimum id fuisse colonorum genus Columella tradit, Sasernaque dicebat « ab ejusmodi homine fere pro mercede litem reddi. » Unum igitur supererat, ubi cetera male cesserant, latifundiorum possessoribus, si partiariis colonis locarent. Quod antiquitus usitatum esse videtur. Cato enim præcipit politionem, quo pacto dari oporteat : in loco bono octavam partem politori assignans, satis bono, septimam, tertio loco, sextam, ordei et fabæ quintam [2]. Plinius junior narrat se necessitate adductum fuisse ut ejusmodi conditiones, ac sane clementiores, obæratis suis colonis faceret. Cujus verba integra referenda sunt : « Priore lustro, inquit, quanquam post magnas remissiones, reliqua creverunt : inde plerisque nulla jam cura minuendi æris alieni, quod desperant posse persolvi ; rapiunt etiam consumuntque, quod natum est, ut qui jam putent se non sibi parcere. Occurrendum ergo augescentibus vitiis, et medendum est. Medendi una ratio, si non nummo, sed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos exactores operi, custodes fructibus ponam : et alioqui nullum justius genus reditus, quam quod terra, cœlum, annus refert. Ad hoc magnam fidem, acres oculos, numerosas

[1] Plin., III, 19. — [2] Cat., *De Re rust.*, CXXXVI. — De politore V. Dickson, *De l'agriculture des anciens*, Ch. II, p. 51, sqq. ; Lachmann, *De M. P. Catonis lege politionis*.

manus poscit : experiundum tamen, et, quasi in veteri morbo, quælibet mutationis auxilia tentanda sunt [1]. » Verisimile est plerosque conductores, ubi solvendo esse desierant, non aliter in ditionem domini, salva libertate, transiisse. Partes exigi cœperunt ab iis, qui mercedem præstare jam non poterant, novaque pignora per servos dominus tuitus est. Jam non vera conductio illa fuit, nec in lustrum tantum pacta, sed ut « plures annos ordinatura » valeret. Nostris etiam diebus, in Tunisia aliquid simile adhuc reperitur. Ibi latifundiorum possessores spatia quinquaginta circiter jugerum (Khemmassas) colonis, quos Kemmas vocitant, quinta parte cum instrumento locant. Inde in ære domini colonus, quanquam eximia sobrietate, plerumque est, fundoque debita pecunia nexus, terræ quasi servus fieri solet [2]. Ceteroquin aliæ aliis conditiones in hujusmodi locationibus impositæ fuisse videntur. In saltu Burunitano, sub Commodo principe, partibus agrariis certis, binis aratoriis in annos singulos, binis sartoriis, binis messoriis operis coloni principis tenebantur, quas, neque procuratori, neque conductori ampliare licebat [3].

In summa, aut ab ipso domino per familiam, aut a servis quasi colonis factis, aut a conductoribus, sive urbanis, sive rusticis, aut a colonis obæratis sæpiusque partiariis factis, aut etiam ab omnibus simul fundi, sub Nerone principe, colebantur. Minorum vero possessorum multitudo sane adhuc fuit, sed satis parvi ponderis, ut vix de iis mentionem Columella faceret, et id ut eorum egestatem et ignorantiam memoraret. Quod superest, constat quamcumque formam rusticationis male cessisse plurimis hujus ætatis

1 Plin. Jun., IX, 37.

2 Conférence de M. Pascal, 1887.

3 C. I. L. t. VIII, nº 10570, p. 933. Vide etiam Fustel de Coulanges : *Le Colonat romain*, p. 33.

sive dominis, sive colonis, quorum utrorumque aut negligentia, aut luxuria mulctabantur rura. Jacebant prædiorum et pretia, et reditus, minus respondente terra in plurimis locis, in multis etiam tanquam effeta ac sterili facta. Ergo, fractis rebus et animis, multi malebant pascere, quam arare vel fodere. Jam lege Licinia provisum erat ne pecora omnia invaderent, idque ad tempus agriculturam servavit. Ad pascendum enim vehementer incitabatur italicus agricola. « Apud nostros colonos, ait Columella, nulla alia res uberior. Ut etiam M. Cato prodidit, qui consulenti, quam partem rei rusticæ exercendo celeriter locupletari posset, respondit : si bene pasceret ; rursusque interroganti, quid deinde faciendo satis uberes fructus percepturus esset, affirmavit : si mediocriter pasceret. Ceterum de tam sapiente viro piget dicere, quod eum quidam auctores memorant eidem quærenti, quodnam tertium in agricolatione quæstuosum esset, asseverasse : si quis vel male pasceret [1]. » Attamen quintum locum prato Cato assignaverat ; primum rectius Varro postea assignavit [2], in eam tamen insurgens avaritiam quæ « contra leges ex segetibus fecit prata [3]. » Vineæ autem, in primo loco a Catone positæ, jam ætate Varronis in contemptum venerant, earumque cultura languescere simul atque culta in vetereta magis in dies mutabantur. Cum ceteri fructus, tum in primis frumentum dicebatur angustius provenire [4]. Contra Urbis minus in dies satiabilis populus pascendus erat, gliscente mensarum luxuria, eorumque crescente numero, qui, « fruges consumere nati », agriculturæ inutiles erant. Itaque necesse fuit,

[1] VI, *Præf.* — [2] « Alii dant primatum bonis pratis, ut ego quoque. » I, 7.
[3] II, *Præf.*
[4] De illa omnis proventus maximeque frumenti deminutione vide Dureau de la Malle, *op. cit.*, I, p. 298, sq. ; II, Ch., XXIII.

ne Saturnia tellus fame laboraret, ex transmarinis provinciis advehere frumentum [1], et vindemias condere ex insulis Cycladibus ac regionibus Beticis Gallicisque. Inde multo durior annona. Nam, ætate Plinii (majoris), pretium similagini [2], annona media, in modios farinæ, XL asses erant, similagini castratæ [3], octonis assibus amplius, siligini castratæ [4], duplum [5]. Qua caritate jejuniores, non ditiores facti, ad pascendam urbanarum epularum libidinem laborabant rustici. Sic vos, non vobis, etc. « Plebeia paupertas, ait Columella, submota a pretiosioribus cibis ad vulgares compellitur [6]. » Lacte, oleribus, caricis, pro carne utebantur, pro pane nonnumquam lupinis, laudatam denique veterum frugalitatem, sed miserrima imagine, referebant. Huc igitur reciderat possessionum incrementum, ut colonorum facultates, dominorum reditus, terræ fructus et pretium una minueret. Optime quidem modum agri servandum antiqui putaverant: ambitione possessorum, et terra, et ejus cultores pessum iere. « Latifundia, ait Plinius, Italiam perdidere, jam vero et provincias. »

[1] Multum tamen auctæ sunt a declamatoribus advectiones illæ. Si Dureau de la Malle credimus, decima tantum pars totius annonæ ex provinciis, sub Tiberio, importabatur. Unde satis arguuntur (quanquam id malum tempore crevit) ad eloquentiam magis quam ad veritatèm spectavisse plerique, sive veteres, sive recentes, qui de ea frumenti penuria deploravere, inter quos omnem modum ille excessit, qui, de cerealibus italicis eloquenter disserens, nimis oratorie exclamavit: « Ce sont les flots qui portent les moissons de Rome. » Michon, *Des Céréales en Italie sous les Romains*, p. 212.

De quantitate frumenti advecti V. Pigeonneau, *De Convectione urbanæ annonæ*, p. 26, sq... De numeris a Josepho (B. J., II, 16) prolatis ille disserens bene animadvertit « non universam, sed canonicam tantum, id est publiciis horreis conditam populi romani annonam » hunc auctorem indicasse. *Ibid.*, p. 28.

[2] Ex tritico similago fiebat.

[3] Fleur de farine de froment blutée. — [4] Fleur de farine de siligo. — [5] Plin., XVIII, 2). — [6] Col., X, *Præf.*

Querantur nunc agriculturæ professores agrum nostrum abiisse in lacinias ! Quasi non plane compertum sit vastitatem possessionum segetem esse miserorum. At putant in magnis agrorum spatiis, machinas novumque agricolare instrumentum commodius adhiberi, nec profecto negandum est; sed hoc in primis agricola considerare debet, an tantæ impensæ tanti fructus respondeant. Id misere didicerunt Axonæ aut Scaldis accolæ. Ibi latifundiorum conductores sæpe vidimus ire tristes per instrumentum erudite et magno pretio comparatum ; non vidimus lætiores in eorum centuriis excitari segetes, quam in exiguis pauperculorum finibus. Atqui veteres illi miserunt consuetudines, nec impensæ parcunt, ut terræ reditum augeant. Qui fit ut plerique mercedem pensitare non possint ? Quippe, ut ait Plinius, « opera, non impensa, cultura constat » ; nec adeo doctas, sed fortes ac probas manus terra requirit. Neque tantis facultatibus opus est ut novis instrumentis uti possis, quorum utilissima quæque præsto sunt vel tenuissimis agricolis, ceterorum velut luxu sine damno carere possunt.

Si verum quærimus, latifundiorum cultura semper alea fuit. Nam magnis et certis impensis constat, fructibus incertis ; si res male successerunt, grave damnum ; si bene, quæstus mediocris : nam vilitas frugum sequitur abundantiam. Qui post nonum annum pares rationes habent, prudentes sunt ac felices; qui cum lucro coluerunt, rara fortuna usi sunt. Vix autem ii numerantur, adeo sunt multi, qui pignora locatori reliquerunt. Non divitias expetentibus, sed exiguo contentis terra respondet : quæ largitionibus non flectitur, sed parcis durisque manibus sæpe vincitur. Spes magnas frustrari illa gaudet ; minus eos lædere potest, qui tenui apparatu magnoque labore quotidianum victum cum sua progenie in agello quærunt. Uude nunc proficiscuntu plurimi questus, nisi ex latifundiis ? Prædiola angustias

præsentes levius tolerant, donec clementior redeat annus. Vera adhuc comperitur præclara Virgilii sententia :

Laudato ingentia rura;
Exiguum colito [1].

III.

Sed hactenus poetarum et agricolarum querimoniis concessum est ; neve, dum latifundia insectamur, eo ventum esse crediderimus ut agricultura ipsa cum colonis perierit. Imo vero latifundiis ars agricolaris multum provecta est, vitæque humanæ commoditates non parum auctæ sunt. Laudato ingentia rura, poeta dixit ; cur autem laudanda ea censuerit, nisi quod, ubi majores facultates adsunt, majora et plurima tentari possunt, in tantumque ars hominum progreditur, in quantum experimentis adjuvatur. Adde quod latifundiorum possessores, et facultatibus suis incitantur, et necessitate plerumque compelluntur, ut novis melioribusque colendi rationibus sumptus suos levent. Rusticuli, qui angustos fines colunt, de trita via haud libenter decedunt, nec adeo culpandi sunt, quod minores, sed certiores quæstus, majoribus, sed incertis, anteponunt. Qui, modo solitos fructus peræque recipiant, nihil posse commodius fieri, quam per tot annos factum est, existimant, novarumque rerum diffidentia, imprudentiam eorum libenter carpunt, qui nituntur in meliora. Sed, ubi res male vertere, si frumento non pensitatur merces, si vitis insolitis morbis laborat, tunc attoniti et necessitate compulsi omnia nova jam experiri student ; tum etiam peritos interrogant, transmarinos surculos arcessunt, semnia mutant, omnia denique

[1] *Georg.*, II, *v.* 411. — Cf. Dur. de la Malle, *op. cit.*, II, p. 226.

explorant ut et labentibus rebus succurrant, et impares proventus augeant. Sic privatis angustiis communis humani generis utilitas parari solet.

Tum quoque multorum exitiis rustica disciplina crevit, triplicique causa, a Catone ad Columellam, humana vita aucta est. Jam facultatibus majoribus possessores, jam necessitate coloni incitabantur ad audendum. Præterea, tempus, rerum ille opifex, omnes fere partes agricolationis excoluit. Primum omnium, parum sibi constare videntur auctores singuli, qui de statu agriculturæ romanæ retulerunt. Quid enim sibi volunt insectationes illæ Varronis in eorum desidiam, qui saturi fiunt ex Africa et Sardinia, et propter avaritiam contra leges ex segetibus fecere prata, postquam in superiore libro magnificis laudibus cultissimam Italiæ speciem et in omni genere proventus eximiam ubertatem extulit. « Vos, qui multas perambulastis terras, ecquam cultiorem Italia vidistis? Ego vero nullam arbitror esse, quæ tam tota sit culta... Quid in Italia utensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? Quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? Quod oleum Venafro? Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus appelat ἀμπελόεσσαν, quam hæc? aut Argos, quod idem poeta πολύπυρον? In qua terra jugerum unum denos et quinos denos culleos fert vini, quot quædam in Italia regiones [1]? »

Columella quoque aliter loquitur de Italica agricultura ut suos aut carpere aut erigere sibi proposuit. Et assiduæ illæ Plinii increpationes quo vero pertinent, nisi in humanam solertiam, quæ, ut ceteras artes, sic rusticationem

1 Varr., *De Re rust.*, I, 2. Cf. *Georg.*, II, v, 135 et sqq. Sed neque Medorum, silvæ ditissima, terra, etc....

longe a pristino more ac quasi impie provexit? « Audax vita, scelerum plena ! » Jam omnia, eo judice, ruunt, quia pomorum annuus fructus binis millibus nummûm addictus est « majore singularum reditu, quam erat apud antiquos prædiorum. » Et indignans : « Ob hæc, ait, insita, et arborum quoque adulteria excogitata sunt, ut nec poma pauperibus nascerentur [1]. » Bene vero res æstimanti duriora videbuntur pauperibus tunc incidisse tempora, sed meliora majorisque reditus facta esse poma. In deterius abierant res scilicet agricolarum, sed agricolatio ipsa in dies adoleverat. Desierat Italia pascere suos incolas ; in prata redacta erant arva multa, quædam etiam derelicta ; at saltus in fundos, incultaque in culta mutata erant. Unde etiam multorum querimoniæ, quibus, in jejuniore terra, nihil pro spe contigerat. Universum agrum consideranti minus fertilis videri potuit Italica tellus, minusque saluber [2], sed inter querimonias, fines suos pastino et aratro colonus romanus prolataverat.

Præterea, quod de frumenti et vini inopia querebantur explicationem aliquam et correctionem desiderat. Vini enim proventum, non minorem, sed majorem in dies factum esse credimus [3] ; nam, præterquam quod terra vinealis pratensibus herbis minime convenit, usum hujus rei, ut paulo infra dicturi sumus, tempus multum propagaverat, majoresque vindemias, quam quæ Catonis æqualibus satis fuerant, expostulabat bibacior ætas. Ideo necesse factum erat externa advehere vina, eoque magis quod domestica ab eruditis palatis diu contempti erant, majorque gratia iis

1 Plin., XVII, 1.

2 Illam enim nativamque Italiæ insalubritatem majorem fuisse sub Nerone, quam ætate Reguli, adhuc demonstrandum est. V. Dureau de la Malle, *op. cit.*, II, p. 21, sq

3 Cf. Lamarre, *De vitibus atque vinis apud Romanos*, p. 2.

accesserat quæ ex insulis vel longinquis regionibus condita erant [1]. De frumento vero animadvertendum est, non Italiam, sed Romam tantum, nec totam quidem, *ex Africa et Sardinia saturam factam esse.* Unde vero ceteri Italiæ incolæ, nisi ex domesticis opibus, alebantur? Sed de universi proventus exiguitate recte auctores questi sunt, id enim constare videtur ; at singulis ex agrorum spatiis majores et meliores, auctore Varrone, nonnumquam auferebantur fructus. « Majores nostri, ait, ex arvo æque magno, sed male consito, et minus multum, et minus bonum faciebant vinum et frumentum [2]. » Tritici genera complura Columella cognoscit, adorei quatuor, inter cetera, numerat, inanemque eorum gloriam memorat, qui, multiplici varietate frugum delectati, supervacuas species comparant: certum quidem majoris industriæ exquisitiorisque proventus indicium. Mira triticeæ fecunditatis exempla Plinius refert, Italicoque tritico nullum comparandum dicit « candore et pondere, quo maxime discermitur. » Ille idem, prolato Sophocle poeta in fabula Neoptolemo :

Et fortunatam Italiam frumento canere candido,

« quæ laus, addit, peculiaris hodieque Italico est [3]. » Panis quoque in Italia, eodem auctore, præcellebat. Nam pulti, qua vixerant longo tempore Romani, successerat panis usus, pulte fritilla sacris priscis atque natalibus servata. Et quæ genera deliciarum in ipso pane, ostreario, artolagano, speustico, furnaceo, artopticio, in clibanis cocto, ex alica facto, gentium scilicet pacatarum « ad operis pistorii genera transeunte cura ! » Non pridem etiam et Parthis invectus erat tenuis et spongiosa inanitate, quem aquaticum alii, alii Parthicum vocabant. Durum far, ex quo pultem anti-

1 De vinis externis Romam translatis, v. Lamarre, *ibid.*, p. 89.
2 Varr., *De Re rust.* I, 7. — 3 Plin. XVIII, 12.

qui fecerant quodque adoreum appellaverant, honore cesserat siligini, *tritici deliciis*, unde panis lautissimus fiebat. Similago etiam Italiæ laudatissima erat, multoque præstantior Ægyptiaca. Adde quod universi orbis fruges in Italiam immigrabant, inter quas milium ex India recentissime advectum, « nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo... omnium frugum fertilissimum [1]. » Secalis vero, quod extremum, si nihil aliud, parit tellus, rarus erat ac contemptissimus usus [2].

Vitium quoque plura genera inventa aut invecta exoletis in solatium cesserant. Quarum numerus, neque breviter, neque facile referri potest.

Quem qui scire velit, Lybici velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro versentur arenæ.

Vulgatissimarum complures species, sive domesticas, sive externas, ignotas Catoni plerasque, nonnullas etiam novissime repertas, Columella et Plinius describunt. Hic etiam animadvertit Catonem, quanquam optimum et sine æmulo agricolam, pauca attigisse vitium genera, eaque refert, ut documenta sint « quantum postea CCXXX annis vita profecerit. » Patescente enim imperio romano, permultæ species ex Africa, Græcia, Asia, Hispaniaque et Gallia in Italiam transmigrarant; Italicæ rursus in provincias vulgata erant. Citra Alpes Gallica placebat, ultra vero Picena. Eo ipso tempore, quo Plinius scribebat, Albam Helviam, vitem uno die deflorescentem septimoque ante anno inventam tota Narbonensis provincia conserebat. Picata, Virgilii ætate incognita, Viennensem agrum nobilitaverat, recentiusque Arvernum, Sequanumque et Helvicum illustraverat. Inter

1 Plin., XVIII, 10. — De Indico milio vide Olivier de Serres II, p, 138.

2 « Secale. .. deterrimum, et tantum ad arcendam famem. » Plin. XVIII, 40.

hæc principatus vitium in tantum Italiæ peculiaris erat, ut vel hoc uno, Plinio judice, omnia gentium vicisse videretur dona [1].

Jam fecundarum vitium præclaris exemplis, quæ retulimus, accedunt restitutæ Cœcubæ et Setiæ [2], quarum singula jugera amphoras centenas quadragenas musti dare solebant [3]. Vini largior proventus in universa Italia successerat, multo largior usus. Magna hujus rei, vel in Deos, diuturnaque parcimonia fuerat, unde vero, nisi propter raritatem [4]? Non ante Lucullum usus vini Romæ vulgatus est, ac tunc quoque vino Græco præcipua gratia erat, posteaque diu fuit, etiam reperto Falerno, nondum intelligente suum bonum Italia; neque ante Opimium consulem (anno DCXXXIII, U. C.), nomen cuique Italico contigerat. Sub Augusto tantum domestici vini patuit gloria, quanto major postea futura! Nam Plinius : « Subit mentem, ait, cum sint genera nobilia, quæ proprie vini intelligi possint, LXXX fere in toto orbe, duas partes ex hoc numero Italiæ esse, longe propterea ante cunctas terras [5]. »

Arborum frugiferarum multæ species advectæ, multæ in melius provectæ, multæ etiam inventæ ac creatæ. Pauca numerat Cato malorum et pirorum genera, gratiæque mediocris. Tunc fere omnis arborum fructus ad usus rusticos, magis quam ad delicias urbanarum mensarum pertinebat. Sed tempore multum crevit frugiferarum gloria. Varro carpit eorum luxuriam, qui oporothecis triclinium sternere solebant cœnandi causa, ut venustate disposita pomorum delectarentur, quosdam etiam irridet, qui Romæ coempta poma rus inferebant in oporothecen instruendam convivii causa [6]. Prunorum *ingentem turbam* numerat Plinius, quo-

1 Plin., XIV, 2, 4, 5.

2 Divus Augustus Setinum prætulit cunctis, et fere secuti principes. » Plin., XIV, 3. — 3 *Id.*, XIV, 5. — 4 *Id.*, XIV, 14. — 5 *Id.*, XIV, 13.

6 I, 59.

rum omnia genera post Catonem manifesto cœperant [1]. Insitione nucipruna (pruna nucibus insita) reperta erant, novissime malina (pruna malis insita) et amygdalina (pruna amygdalibus insita); insitæ sorbis nascebantur myxæ (sebestes, pruna Damascenorum popularia). Sero ex Asia, per Ægyptum, Persicæ arbores, et cum difficultate, in Italiam transiere. Persicorum præcox genus (abricots) anno circiter DCCCXL Urbis repertum, et primo denariis singula venumdata, centenis nummis brevi postea emebantur. Zizipha sub divi Augusti novissimis temporibus in Italiam venerant, a Sext. Papinio ex Syria allata. Ficorum plura genera ex Chalcide, Chio, aliisque locis Romam transierant; quædam etiam et pira magnitudine æmulabantur. Reliqua nominatim piget referre, quæ ars hominum protulerat. « Pars hæc vitæ, ait Plinius, jampridem pervenit ad columen, experta cuncta hominibus... Nullum certe pomum novum diu jam invenitur [2].» Nec exemplis tantum, sed et honesta indignatione universum omnium fructuum processum idem auctor quasi invitus illustrat. « Ferendum sane fuerit, exclamat, exquisita nasci poma, alia sapore, alia magnitudine, alia monstro, pauperibus interdicta : e frugibus quoque quoddam alimentum sibi excogitavisse luxuriam, ac medullam tantum earum ; superque pistrinarum operibus et cælaturis vivere, alio pane procerum, alio vulgi, tot generibus usque ad infimam plebem descendente annona. Etiamne in herbis discrimen inventum est, opesque differentiam fecere in cibo, etiam uno asse venali. In his quoque aliqua sibi nasci tribus negant, caule in tantum saginato, ut pauperis mensa non capiat. Silvestres fecerat natura corrudas, ut quisque demeteret passim : ecce altiles spectantur asparagi : et Ravenna

1 Plin., XV, 12 et 13.
2 Plin., XV, 17. Vide etiam, *id.*, 9-18.

ternos libris rependit. Heu prodigia ventris ! Mirum esset non licere pecori carduis vesci : non licet plebi [1] .» Asparagi tamen toleranda gloria fuit, siquidem a Catone tum nova ejusdem oleris cura doctissimis præceptis adjuta erat ; permittendus etiam caulis honos, tot et tam lyricis laudibus ab eodem celebratus ; sed cardui recentissima fama « non sine pudore dicenda [2] ! » Et rapa XL libras excedentia, quomodo sine indignatione vidit [3] ? Quis et tulerit tot genera lactucarum, maximeque crispatum genus, quod cœperat irrepere sativis admodum probatum ? Quis et melopeponarum novissimam inventionem [4] ? Quis et sex lotos Crassi a Domitio Ahenobarbo H-S sexagies æstimatas ? Nam undique Plinio indignatio occurrit : quasi impium id sit, et sceleste in pauperes inceptum, quidquid arte et humanis ingeniis extunditur ; quasi feris fructibus melioribus factis humano generi detrahatur aliquid. Montano asparago num pauperes ille fraudavit, qui Ravennensem protulit ? Qua injuria hominum cardui in delicias versi sunt, quos « refugiunt quadrupedes consciæ ? » Ille contra de cunctis bene meretur, qui novas dapes reperit, aut repertas excolit : num prolatando vitam paupertatis simul in præsens quæstus auget, necnon commoditatem omnium in posterum. Nec ii quidem adeo vituperandi sunt, qui luxuria sua hujusmodi profectus adjuvant [5] .

1 *Id.*, XIX, 19.

2 « Certum est quippe carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipue, sestertium sena millia e parvis reddere areis : quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupes consciæ.... Stercorantur etiam, si diis placet, lætiusque proveniunt : condiunturque aceto melle diluto, addita laseris radice, et cumini, ne quis dies sine carduo sit. » Plin., XIX, 43.

3 « Vidi XL libras excedentia. » *Id.*, XVIII, 34.

4 « Ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio unum : mox semine ex illo genus factum : melopeponas vocant. » *Id.*, XIX, 23.

5 Cf. Friedlænder, *Civilisation et Mœurs romaines*, etc., T. III, § 2.

Quid enim refert unius periisse patrimonium, pro communi totius humani generis utilitate? Insaniis istis optimæ fructuum species primum a paucis comparantur, deinde propagantur avaritia rusticorum, ac post breve tempus in locum deteriorum succedunt. Hæc et in primis populi romani cura fuit, ut, domita quaque gente, plantarum, si quid apud victos optimum genus esset, inter spolia reportaret. Sic et communicato orbe terrarum, commercioque rerum et societate pacis universæ, multa quæ occulta ante fuerant, in promiscuo usu facta sunt. Non longa recensio esset omnium, sive externorum, sive indigenarum fructuum, quos Italia edidit Catoni : trecentis annis post, incredibilis Plinii memoria omnium opum referendarum quasi obruitur luxuria. Quantum inde in genus humanum populi romani meritum fuit! Tunc vere « magna parens frugum » Italia vocari potuit.

Pecudum quoque creverat numerus, prolatatis veteretorum spatiis ; pretiumque generi accesserat. Memoria Varronis, Reatinus asinus venierat sestertiis millibus LX, et unæ quadrigæ Romæ constiterant quadringentis millibus. Quid de pastionibus villaticis, nisi, quod ceteri per declamationem, alia mente dixerimus? Facinus indignum ! Pavones, turdi, miliariæ ad locupletum mensas venerant! Et nunc veniunt, nullo querente paupere. Pavonum greges, memoria Varronis, haberi cœperunt et venire magno. Quinquagenis denariis in singulos eos vendebat Aufidius Lurco quidam et ex iis sestertium sexagena millia nummum in anno dicebatur capere[1]. Cito crevit pavonum pretium, adeo ut paucis annis post ova eorum denariis venirent quinis, ipsi facile quinquagenis, grex centenarius facile quadragena

[1] Circa novissimum bellum piraticum. Vide Varr., *De Re rust.*, III, 6.

millia sestertia ut redderet[1]. Inde igitur arcam implere rusticus potuit. Nec minus ex turdis pascendis, quos ternis denariis singulos ætas Columellæ quotidie emptitavit: ne rusticis quidem, eodem judice, contemnendus reditus[2]. Præterea silvarum feræ vacerris domesticæ factæ; maris etiam proles innumera tempestatibus seclusa et quasi ad manum posita, cibos aliis, aliis quæstus suppeditabat. Haud vituperanda sane ætati nostræ videbuntur ostrearum vivaria, quæ Sergius Orata invenit in Baiano, « nec gulæ causa, ait Plinius, sed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio suo percipiens[3]. » Sed, præter cetera commoda, villaticæ pastiones multos possessores ad agros habitandos revocaverunt, majusque id fortasse fuit ad rusticationem invitamentum, quam speciosissimi poetarum, vel rhetorum loci. Denique, ut multas opes, sic festivitatem quamdam arborum, hortorum, ædificiorum latifundia ruribus adjecerunt, agrumque Italicum variis illicebris decorarunt[4]. Inde major gra-

1 « Primus hoc Q. Hortensius augurali aditiali cœna posuisse dicitur. » Varr. *ib.*

2 Col. VIII, 10.

3 Plin., IX, 79.

4 Quis vero credat ad voluptatem tunc omnia pertinuisse? Nisi forte, oratorio spiritu inflatus, totius Italiæ hanc speciem fuisse tibi fingere malueris: « L'Italie ne fut plus qu'un vaste jardin ; il ne faut plus y chercher la véritable agriculture ; les agriculteurs de profession ont fait place aux agriculteurs par délassement ; ceux-ci ne cultivent plus pour vivre ou s'enrichir; mais pour dépenser leur argent ; ils sèment toutes les espèces de blé de la terre, et ils ne récoltent pas la nourriture de leur maison. Dans les villas des généraux, au lieu de moissons, nous ne trouvons que des colonnes de marbre et des statues de la Grèce ; chez les sénateurs nous ne voyons que des volières et des viviers ; chez les orateurs et les historiens, que des jardins disposés pour des fêtes ; si nous voulons trouver l'agriculture, il nous faut sortir d'Italie (MICHON, *op. cit.*, p. 194). Quæ cum ita fuerint, cur non iambis in rem rusticam, potius quam de re rustica prosa oratione, Columella scripserit.

tia ruris ; inde novus amor. Tunc et inauditos Curio Catonique de vita rustica sensus poetæ pangere cœperunt.

Instrumentum vero agricolare parum in illis temporibus profecit, quanquam majoribus factis possessorum facultatibus. Non enim refero rotas aratro additas, nec alia hujusmodi inventa, utpote parva, infrequentiamque colonorum parum juvantia[1]. Sed id præcipuum in agricolatione ponendum est, si meliores fructus reddantur ; quo vero utaris instrumento, nihil tanti est.

Præsentis igitur disputationis summa erit hæc latifundia agricolas romanos perdidere, sed agriculturæ posterisque multum profuere. Ergo falso queruntur apud nos quidam agrum nostrum minutius dividi, si commodum rusticorum præsertim respiciunt ; si vero ad artem agricolarem provehendam magis spectant, haud negandum est. Verumenimvero excolendæ vitæ ætas nostra satis contulit, nec nunc id agitur an recte colamus, sed quo modo colendo misere non pereamus. Tradantur experimentis certæ cujusque regionis particulæ : parvis publicisque sumptibus magna privatis documenta inde oriri possunt. Re et exemplis meliores fructus, rationes probabiliores, certi denique quæstus agricolis ostendantur. Tunc veteres damnosæque consuetudines ultro decident. Sed labentibus ea remedia proponere desinant, quæ vel salubribus periculum omni tempore fecerunt.

[1] Majore solertia in ea re Galli illius ætatis usi esse videntur, qui segetibus desecandis machinam nostris fere similem excogitaverant. « Galliarum latifundiis valli prægrandes dentibus in margine infestis, duabus rotis per segetem impelluntur, jumento in contrarium juncto : ita direptæ in vallum cadunt spicæ. » Plin., XVIII, 72.

CLAUSULA

Columellæ præceptum compluribus agricolationis studiosis ab initio placuisse videtur[1], quanquam nova quædam contra veteres dicta minus in eo probabantur. Plinius tamen optimis ejus studiis omnem laudem recusavit, imo iis usus est animo parum benevolo. Nullum locum inter egregios rei rusticæ scriptores Columellæ concedit, nullum inter optimos Nomentani vinitores, quos memorat. Præterea ejus sententiis plerumque occurrit, vel eas leviter transcribit[2]. Interdum etiam, suppresso nomine, amariore sermone auctorem eumdem traducere videtur. Erat enim utrique naturalis quædam cum altero discordia. Sed vel illo suffragio Columella careat, cum ea laude potitus sit, ut perpauci studia sua renovare posterius ausi sint. Nam, ut priores ipse monumento suo complexus erat, sic pauca integra reliquerat sequentibus. De arboribus tantum, ubi plurimum defecerat, et de hortis Gargilius Martialis et Palladius Æmilianus majore diligentia inchoata ab eo perfecerunt. De ceteris vero a nemine postero superatus est. Temere quidem ac gratuito affirmatum est[3] Columellam a Palladio obscuratum fuisse. Servius eum commemorat eodem studio, quo Catonem, Varronem, aut ipsum Palladium, quatuor hos

1 Col., IV, *Prf.* — 2 Cf. Plin. XVIII, 12 « In tantum fallitur Columella, etc... » et Col., II, 9. — 3 Schœll, *Hist. abr. de la litt. rom.*

numerans magistros agricolationis romanæ. Æmiliano quidem Cassiodorus utilitatis palmam tribuere videtur[1]; sed Columellæ doctrinam non minus laudat quam eloquentiam. Hunc in primis cum Martiale et Palladio evolvendum putat, Catonem et Varronem in turba relinquens. Non aliter sensit Isidorus, eumque, dignitatis causa, post ceteros nominat[2]. Asseruit Schœll[3], quo vero auctore nescimus[4], in oblivionem eumdem cecidisse per ævum medium, nec a Crescentio cognitum fuisse. Atqui Crescentius, non modo eum appellat, sed majorem partem suæ doctrinæ, sæpe etiam ordinem compositionis ab eo sumpsit. Verisimile est quatuor scriptores rei rusticæ, quos nunc habemus, ab ipsis antiquis in unum scrinium sæpe conductos esse, et pari sorte in villarum et monasteriorum loculamentis ad nos transiisse[5]. Sic conjunctos typographia ab initio eos edidit.

Ceterum auctoritas Columellæ adhuc valet in Italia ; si minus apud nos, ex diversitate cœli solique causa præcipua quærenda est. Nam pauca tempore in eo consenuerunt.

1 *Div. lect.* 28.

2 *Orig.* XVII, 1. « Nec minus studium habuerunt postmodum Corn. Celsus et Julius Atticus, Æmilianus, sive Columella, insignis orator. »

3 *Op. cit.*

4 Nisi forte Gesnerum secutus sit. « Post Palladium delituisse videtur Columella... Certe P. Crescentius... nusquam .. Columellæ meminit. » *Præf.*, p. XVIII.

5 In *vetustissimo volumine* a Petro Victorio in divi Marci bibliotheca reperto, quodque secuti sunt omnes qui Catonem et Varronem ediderunt, M. Catonis de re rustica unus liber erat, T. Varronis, tres, Martialis, unus, Columellæ XII. « Is unus liber, addit Victorius, majores mihi utilitates præbuit, quam universi alii : superat enim reliquos, quos habui, longo intervallo, et vetustate et fidelitate. » Quos vero potissimum in eodem illo volumine lector adierit, satis aperte colligitur ex his Victorii verbis : « Duo toti (Martialis scilicet et Columella) vetustate collapsi sunt. » Cato autem totus, Varro fere integer in eo continebantur De Palladio vero ne in titulo quidem ulla mentio facta erat. (Petri Victorii *explic. suarum in Catonem Varronem, Columellam Castigationum.* Lugduni 1542, p. 2 et 3.)

Doctius fortasse de rebus rusticis nunc a nonnullis disseritur, non utilius. nec elegantius[1]. Multa profecto ab eo vel nostri rustici discere possunt. Nonne fatetur agricolationis Gallicæ vetus ille parens[2] disciplinam ruris parum profecisse ab ætate Columellæ? Item Voltarius, cujus auctoritas in ea re non omnino contemnenda est, similiter dixit : « Les anciens cultivaient la terre aussi bien que nous. » Machinas quidem, artes novas, exquisitiora lætamina recentior solertia protulit; sed neque cultiorem agrorum speciem, neque lætiores segetes, neque meliores fruges adhuc reddidit. Imo novis morborum generibus fere omnis planta laborat; nec malo scientia medetur, quod, adjuvante colonorum avaritia, ipsa fortasse peperit. Multa tamen prodigia in pastionibus et in hortis colendis hæc ætas edidit, ne omnino nostræ scientiæ diffideremus, neve cum doctissimo illustrique magistro rei rusticæ putaremus, non prodesse agricolæ scientiam, imo nocere posse[3]. Bene speremus, volo, de novis artibus ; ne tamen, cum vexamus terram ultra vires, fundum cum proventu perditum eamus. Columella utique a nemine sine fructu legitur, et, quod ipse de prioribus, id de eo dici potest : « Quæcumque propter disciplinam ruris nostrorum temporum cum priscis discrepant, non deterrere

1 Vide Isid. Pierre, *Fragments d'études sur l'ancienne agriculture romaine.* Caen, 1864, p. 1 et sq.

2 Olivier de Serres.

3 « Non seulement la science est inutile à l'homme qui veut cultiver un domaine avec profit, mais même elle lui serait souvent funeste, tant à cause des distractions que ses études et ses recherches apporteraient à l'attention qu'il doit diriger sans cesse vers les détails de ses opérations, qu'à cause de la tendance systématique que prend facilement un esprit disposé à généraliser les résultats de ses observations, au lieu de se contenter d'en tirer les conséquences les plus immédiatement applicables à la pratique. » Mathieu de Dombasle, *Annales de Roville, 8e livraison,* 1832.

debent a lectione discentem. Nam multo plura reperiuntur apud veteres, quæ nobis probanda sint, quam quæ repudianda[1]. »

[1] Col. I, 1. « Après deux mille ans, ils pourraient encore, sur plus d'un point, nous donner d'utiles conseils et d'excellentes leçons. » Is. Pierre, *op. cit.*, p. 10.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VII Kal. dec. anni MDCCCLXXXVII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX RERUM

Nantiaci, ex typis Paul SORDOILLET.

